Digitized by Google

Digitized by Google

6.18.E.4

FAUSTI ANTONII MARONI
EX CLER. REG. SCHOL. PIARUM

COMMENTARIUS

DE ECCLESIA
ET
EPISCOPIS
REATINIS

IN QUO

UGHELLIANA SERIES

EMENDATUR, CONTINUATUR, ILLUSTRATUR.

ROMAE MDCCLXIII.

IN TYPOGRAPHIA S. MICHAELIS AD RIPAM TYBERIS

TYPIS OCTAVII PUCCINELLI

SUPERIORUM LICENTIA.

LIBRERIA

Digitized by Google

HIERONYMO . CLARELLIO

EX . NOBILISSIMIS . VACUNÆ . MARCHIONIBUS

SANCTÆ . REATINÆ . ECCLESIÆ

EPISCOPO . VIGILANTISSIMO

SAPIENTISSIMI . ET . AEQUISSIMI . PONTIFICIS . MAX.

CLEMENTIS . XIII

CONSENSU . ADPROBATIONE . JUDICIO

AD . PATRIÆ . INFULAM . VOCATO

EAMDEMQUE

AVITO . SANGUINE

PRUDENTIÆ . MATURITATE . SACERDOTIIS . AMPLISSIMIS

RELIGIOSISSIME . SEMPER . EXERCITIS

DOCTRINA . CETERISQUE . PRÆCLARISSIMIS . ANIMI . DOTIBUS

JAMPRIDEM . PROMERITO

CUI

ORIS . DIGNITAS . ET. MAJESTAS. MORUM. SUAVITAS. ET. ELEGANTIA

COMITAS . LARGITAS . MUNIFICENTIA

AMOREM . VENERATIONEMQUE . CONCILIANT

IN . QUO

NIHIL . GRAVITATI . HUMANITAS . NIHIL . AEQUITAS . LENITATI

NIHIL . SEVERITAS . DETRAHIT . FACILITATI

VIRO . MAGNO. ET . DE . SE . SUOQUE . ORDINE . BENEMERENTISSIMO

ITIDEM

GRAVISSIMO . ET . SAPIENTISSIMO

SANCTÆ . REATINÆ . EJUSDEM . ECCLESIÆ

CANONICORUM . COLLEGIO

GENERE. PROBITATE . DOCTRINA

ET . AMPLISSIMIS . SACERDOTIIS . CONSPICUO

SCILICET

GABRIELI . FALCONIO . ARCHIDIACONO

JOSEPHO . PONAM	POMPEJO. DE. CATILINIS.THEOLOGO
JOSEPHO . DE . AUGUSTINIS	MARIO . SANISIO
FRANCISCO . DE . ALUFIIS	LUDOVICO . CAMARDA . PÆNITENT.
FRANCISCO . CANALI	SCIPIONI . DE . COLELLIS
HIERONYMO . ANGELOTTO	JOSEPHO . DE . ALUFIIS
FRANCISCO . CRISPOLDO	HADRIANO. VINCENTI. DE.MERERIIS
PHILIPPO . DE . PERINIS	BERNARDINO . SONANTIO
COSIMO . STAPHA	GASPARI . MARCHETTO

VIRIS . SPECTATISSIMIS . ET PRÆSTANTISSIMIS

QUORUM . MAXIME . EST

PIETATEM . EXEMPLO . DISCIPLINAM . STUDIO . RECTE . FACTORUM

ET . MINISTERIUM . SANCTITATIS . PUBLICUM

REI . DIVINÆ . CURANDÆ . NAVITER . ADHIBERE

OPERA . SEMPER . EGREGIA

JOANNES . PROSPER . BULGARELLIUS

RECTOR . COLLEGII . SCHOL. PIAR. REATINI

COMMENTARIUM

DE . ECCLESA . ET . EPISCOPIS . REATINIS

A . FAUSTO . MARONO . SOCIO . SUO

ELABORATUM

GRATI . ANIMI . ET . OBSERVANTIÆ . DEDITÆ

MONUMENTUM

D. D. D.

DE

Digitized by Google

DE ECCLESIA,

ET

Epiſcopis Reatinis.

I. S*Anctum Proſdocimum* conſtitutum a Sancto Petro Apoſtolorum Principe ſuæ Urbis Epiſcopum, antequam Patavinam fundaret Eccleſiam, Reatini ex antiqua traditione contendunt. Nummos etiam, ut Angelottus refert rerum patriarum non ignobilis ſcriptor, cum ejuſdem Sancti Proſdocimi effigie percuſſos in ejuſdem rei argumentum proferunt: & Templum oſtendunt ab eodem Apoſtolorum Principi conſecratum (1). Nobiliſſimæ Civitatis Eccleſiæ tam vetuſtæ originis gloriam minime invideo; immo vero, probare ſi poſſit, quam maxime gratulor. Vereor tamen, ne commune habeat cum pluribus aliis præclariſſimis Urbibus infortunium: videlicet ne extorquere poſſit hominum eruditorum aſſenſum. Plerique enim quæſtionem hanc de Eccleſiarum origine a Petro Apoſtolo, ejuſque diſcipulis repetenda obſcuram adeo, adeo perplexam, difficilem, aleæque plenam oſtendunt, ut, qui ſpartam hanc ſuſceperint illuſtrandam, nihil

De Eccleſiæ Reatinæ primordiis, & *de Sancto Proſdocimo* primo ut volunt Reatini, ejuſdem Fundatore, & Epiſcopo.

A eos

(1) Conſule Ugell. in Serm. prælim. ad Epiſc. Reatinos.

eos profeciſſe, confiteantur (1). Neque vero fieri aliter poteſt, cum & vetuſta traditionis vulgatæ monumenta deſiderentur, & ſiqua proferuntur, aut ſint recentis ævi fæturæ, aut fabulis, ineptiſque narrationibus ſcateant. Hinc Baronium de nimia facilitate repræhendunt contendentes, eum liberalius, quam par erat, egiſſe, nimiumque popularibus traditionibus indulſiſſe, quod tot Eccleſiarum primordia ad incunabula Fidei Chriſtianæ retulerit, primumque ab ævo Apoſtolico Paſtorem arceſſiverit (2). Quod ſi præſtantiſſimis etiam Eccleſiis traditionum ſuarum monumenta antiquorum ſcriptorum auctoritate firmata docentibus tantum hoc decus vel reprobarunt, vel in dubium revocarunt viri doctiſſimi, quanti ab iis habitum

(1) Conſule inter cæteros Bernardum Mariam de Rubeis Ord. Præd. *in monum. Eccl. Aquileien. pag. & colum. 1. & 2.* & Scipionem Maffeium *in ejus* ad *Coletum Epiſtola*, quæ legitur *in tom. V. Ital. Sac. in ſerm. præſm: ad Epiſcopos Veronenſes*. Ibi – *Populares fabellæ, nec non hiſtoriolæ decimo ſexto ut plurimum ſæculo concinnatæ cujuslibet fere Italiæ civitatis Paſtorem primum ab Apoſtolorum ævo, ipſiſque Chriſtianæ Fidei incunabulis arceſſunt, ſeriemque Epiſcoporum mirificam nec interruptam perbelle ædificant. Quamplurimas tamen fuiſſe ex his civitatibus, in quibus ante tertium ſæculum Epiſcopi nomen non ſit auditum, rerum ordinem, & tempora perpendenti conſtabit*. Quas tamen fabellas, & hiſtoriolas tribuit doctiſſimus vir ſæculo decimo ſexto, longe vetuſtiores eſſe merito affirmat Cl. vir, & in omni antiquitatum genere verſatiſſimus Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. *tom. II. Orig. Chriſt. lib. II. §. 41. pag. 255.*

(2) Quæ Baronio viſæ ſunt *ſatis exploratæ*, ut inquit, Eccleſiarum Origines ab Apoſtolo Petro, ſequentes ſunt ab ipſo met recenſitæ *ad annum* XLII. *num. II.* – *Habuit a Petro inſtitutos Epiſcopos Siciliæ Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum: Capua Priſcum: Neapolis Aſprem, aliter Aſprenatem: Terracina Epaphroditum: Aequicolæ Marcum, alium tamen ab Evangeliſta: Ptolomæum Nepe: Romulum Feſulæ: Paulinum Luca: Ravenna Apollinarem: Verona Eupræpium*: PATAVIUM PROSDOCIMUM: *Ticinum Syrum: Aquileia poſt Marcum Hermagoram*. Ab aliis, quos extra Italiam miſſos ibidem Baronius refert, conſulto abſtineo. *Liberalius egiſſe Baronium*, inquit Bernardus Maria de Rubeis loco laud., *nimiumque popularibus indulſiſſe traditionibus, qui tot Eccleſiarum primordia ad incunabula Fidei Chriſtianæ refert, primumque ab ævo Apoſtolico arceſſit Paſtorem, cenſuerunt viri doctiſſimi*.

bitum iri cenſebimus traditionem a nullo nobis ſcriptore antiquo communicatam, ſed a Patribus ad Filios, ut aſſerunt, ore traductam? Præcipue cum inter Eccleſias initia ſua ad Petrum Apoſtolum, ejuſque diſcipulos referentes Sancto Proſdocimo Patavinæ quidem originem Baronius tribuat: Reatinam vero premat alto, profundoque ſilentio. Quod argumento videtur certo, traditionem de Reatina Eccleſia per Sanctum Proſdocimum juſſu Petri fundata non fuiſſe admodum pervagatam, ſed ab ejus Eccleſiæ confiniis vix, ac ne vix quidem egreſſam.

II. Ad nummos ſi provocaveris, irrideberis. Ut enim vetuſtos eſſe demus, eam certe ætatem minime ſapient, quæ Sancto Proſdocimo proxima fundatam ab eo Reatinam Eccleſiam poſſit arguere (1). Quot nummos diverſi moduli, ut de aliis urbibus taceam, Ancona percuſſit cum effigie Sancti Cyriaci Epiſcopi, & Martyris ſæcula ante non pauca? An ideo de Sancto Cyriaco Anconitanorum Epiſcopo omne Papebrochius dubium excuſſit (2)? Templum vero, quod in honorem Sancti Petri adhuc fortaſſe (ut licet nobis arguere) viventis (ſi enim Petro vivente Patavinam S. Proſdocimus fundavit Eccleſiam, multo magis Petro vivente Reatinam tempore ſuperiori) ab eodem Sancto Proſdocimo Deo dicatum di-

 cunt,

(1) Nummos urbium Italicarum collegit Muratorius tom. II. Antiquit. diſſert. XXVII. Alios plures ineditos ex ſuo muſæo produxit Bellinius. Apud neutrum videre eſt Reatinos nummos. Hinc ſuſpicor, Angelottum nummi nomen dediſſe Sigillo cum effigie S. Proſdocimi *Reatinæ Eccleſiæ*, ut in eo legitur, *Fundatoris*, de quo paulo poſt hoc ipſo numero.

(2) Nummos Anconitanos videre eſt apud Muratorium plures ubi ſupra. Sanctum tamen Cyriacum Epiſcopum fuiſſe Anconitanum aut negat, aut maxime dubitat idem Murat. cum Papebrochio *tom. I. Maj ad diem IV*. Nos ejus urbis Epiſcopum fuiſſe probavimus *in noſtro Commentario de Eccl. & Epiſ. Anconitanis num. II., & ſeqq.*

cunt, fidem minime inveniet. Quotquot enim imperantibus Diocletiano, & Maximiano elata antea fuerant a Chriſtifidelibus Templa in univerſo Romano Imperio a fundamentis everſa ex celebri eorumdem decreto cognoſcimus (1). Videre eſt ab antiquiſſimis temporibus hujuſmodi Templa Apoſtolo Petro ſolemnia per Italiam ubique ædificata, præcipue in Latio, finitimiſque regionibus frequentiſſima, quæ ut ſint vetuſtiſſima, neque certe ſæculi primi quis dixerit, neque ex iis Epiſcopos in illis arguet Apoſtolicis temporibus conſtitutos. Eorum frequentiam ex eo potius arbitror repetendam, quod, Idolorum cultu proſtrato, amplificata fide, factaque Chriſtianis Templorum ædificandorum poteſtate, eæ urbes, & oppida, in quibus Evangelicum primum lumen per ſanctum Petrum, aut ejus Diſcipulos ab eo miſſos effulſerat, præcipuum ſibi patronum Eum adſciverunt, virtutemque grati animi ſui, elatis Eidem Templis, teſtatam eſſe voluerunt. Itaque crediderim potius, per ſanctum Profdocimum vel miſſum a Sancto Petro, vel illac pertranſeuntem Reatinis lucem Evangelicæ veritatis primo effulſiſſe. Deſtinatum vero peculiarem, Cardinalemque Eius urbis Epiſcopum (2), ut verum fatear, ſine ſolidiori monumento, fundamentoque adduci non poſſum, ut facile aſſentiar (3). Licet tamen per me, ut Urbs anti-

Unde tàm frequentia antiquiſſima Templa Deo in honorem Sancti Petri conſecrata in Italia, præcipue in Latio, finitimiſque regionibus.

(1) Conſule Euſeb. *hiſt. Eccl. lib. 8. Cap. 2. ad annum 303.*

(2) Epiſcopi Cardinales ii dicebantur, quorum curæ ita regenda committebatur aliqua Eccleſia, ut iis viventibus alteri committi non poſſet. Conſule Thomas: *de vet. & nova diſcipl. lib. II. cap. CXV. num. 1., & ſeqq.*

(3) Perbelle in hanc rem Cl. vir Scipio Maffejus *in ſua Verona illuſt. tom. I. pag. 410. - Invaghiſce molti il pregio di venire da S. Pietro; ma chi dubita, che non ne vengano tutte le Chieſe d' Italia ſingolarmente? Per tal diſcendenza però non è neceſſario, che S. Pietro mandaſſe in ogn' una a riſedere un Paſtore. Baſta, che quei Sacri Operarj mandaſſe, da quali i primi ſemi in moltiſſimi luoghi ſi ſpar-*

Digitized by Google

antiquiſſima, & multis nominibus nobiliſſima in ſua traditione ſit conſtans, & S. Proſdocimum ſibi datum Epiſcopum ſæculo primo, quod omnino non arbitror impoſſibile, veneretur. Quin etiam ex hac Eum ſerie delendum minime cenſeo. Neque enim ad Epiſcopum ab aliqua ſede movendum, in qua longo ſæculorum curſu locum habuerit, ſat eſſe judico, ut oſtendi non poſſit, in ea ſediſſe: ſed præterea illud requiri, ut non ſediſſe, certiſſime demonſtretur. Porro traditionem de Reatina Eccleſia per S. Proſdocimum ſæculo primo fundata non eſſe ab uno, aut altero ſæculo, ſed ſatis antiquam, argumento eſt ejuſdem effigies pontificalibus indumentis ornata, & in rubra cera impreſſa, qua Raynaldus Reatinus quondam Epiſcopus decreta ſua firmavit anno 1250. ſeptimo Idus Martii cum circumductis in orbem his verbis = S.PROSDOCIMUS ECCL. REAT. FUND. (1). III.

ſparſero; onde poi derivarono di mano in mano le Chieſe tutte. Gioconda Imaginazione è quella, che poteſſe S. Pietro deputare un Veſcovo in particolare per tanto numero di Città; quaſi egli così gran numero di Diſcepoli, e di Convertiti atti a tai miniſtero aveſſe in pronto, e quaſi doveſſe mandarli a negozio fatto. S. Pietro sarà ſtato ſecondo l'uſo Apoſtolico in più Città d'Italia egli ſteſſo; e nelle varie parti di eſſa ſpedì ſenza dubio con ſagro carattere, e dopo aver loro impoſte le mani, Compagni, e Miniſtri, perchè ſeminaſſero l'Evangello; ma queſti erano Sacerdoti, e Veſcovi non affiſſi ad un ſol luogo, ma vaganti, e dopo avere annunziata in una Città la Fede, paſſavano ad altra, come richiedeva la neceſſità di portarla da per tutto. Tali forza è, che eſſi foſſero per qualche tempo; anzi tali furono per lo più gli Apoſtoli medeſimi &c. Hæc ab Euſebio Pamphilo accurato ſæculi IV. Scriptore vir eruditiſſimus facile acceperat, qui in hanc rem ita ſcribit *Hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 37. Apoſtolorum Diſcipuli relicta patria peregre proficiſcentes munus obibant Evangeliſtarum, iis, qui fidei ſermonem nondum audiviſſent, Chriſtum prædicare, & Sacrorum Evangeliorum libros tradere ambitioſe ſatagebant. Ii poſtquam in remotis quibuſdam, ac barbaris regionibus fundamenta fidei jecerant, alioſque Paſtores conſtituerant, & novellæ plantationis curam iiſdem commiſerant, eo contenti ad alias gentes, ac regiones comitante Dei gratia, ac virtute properabant.*

(1) Viſitur pendens ex codice hædino, in quo ſcripta ſunt ſtatuta Raynaldi Epiſcopi in Tabul. Reatinæ Eccl. *Armar. 11. Faſcic. B. num. 1.*

S. Probus Reatinus Epiſcopus quo ſæculo vixerit.

III. Poſt Sanctum Proſdocimum Sanctum Probum ex Sancto Gregorio (1) recenſet Ughellius Antiſtitem hujus Eccleſiæ ſæculo quarto. Adeo vero falſum eſt, ſanctum hunc Probum anno vixiſſe 330., ſicuti affirmat Ughellius, ut Sanctus ipſe Gregorius, cujus innititur auctoritati, non poſſit non eſſe contrarius. Etenim Sanctus Pontifex narrat, Probum proxime moriturum inviſum de cælis fuiſſe a Sanctis Juvenale, & Eleuterio Epiſcopis, adſtante, & vidente puero, cujus cuſtodiæ commiſſus fuerat ad breve tempus æger Epiſcopus. Hæc ſe accepiſſe teſtatur a Probo Sancti Epiſcopi Fratris filio in monaſterio Romæ tunc commorante: Puerum vero ejus rei teſtem adhuc eſſe, ſe ſcribente, ſuperſtitem (2). Facile eſt ex his judicare, quam immaniter circa Probi Epiſcopi ætatem erratum fuerit, cui morienti anno 330. de cœlo adſtitiſſe dicitur Sanctus Juvenalis eo anno non ſolum vita non functus, ſed nondum ſenex, & in Africa adhuc degens [nondum enim venerat in Italiam, & multo minus Narniam, in qua primus fuit Epiſcopus, obiitque anno 376. (3)]: & poſt tria ab obitu ſæcula vivere adhuc dicuntur, qui extremo officio perfuncti fuerant erga morientem. Quid his abſurdius? Quare ſi acu rem non tangemus, ad veritatem tamen propius cenſeo nos acceſſuros, ſi dicamus: Probum ad dimidium circiter ſæculi ſexti Reatinæ Eccleſiæ præfuiſſe, Id enim tempus convenire videtur ætati cum pueri, tum Fratris filii adhuc Sancto Gregorio hæc narrante viven-

(1) *Dialog. lib. IV. cap. XII.*

(2) Ibi - *Qua de re neque hoc ſileam, quod Probus Omnipotentis Dei famulus, qui nunc in hac Urbe monaſterio præſto eſt, quod appellatur Reatum, de Probo Patruo ſuo Reatinæ Civitatis Epiſcopo mihi narrare conſuevit dicens ...... Omnes igitur aſcenderunt domum: unus & tantummodo parvulus relictus eſt puer, quem nunc quoque prædictus Probus aſſerit ſupereſſe &c.*

(3) Ex ejus actis apud Eccl. Narnien. & Bollandianos *Tom. I. Maii ad diem III.*

ventium (1). Id ipſum autem in eam me ſuſpicionem adduxit, ne ex tribus, qui ſub eodem, vel ſimili *Probi*, *Probini*, *Probiani* nomine recenſentur Epiſcopi Reatini ab Ughellio uſque ad tempora Sancti Gregorii num. II. III, & VI, unicus fuerit, Iſque, de quo modo ſupra. Adverto enim de *Probiano* numero III nullum produci ab Ughellio monumentum: Imo etiam falſum ab Angelotto, Gratiano, Ciacconio, ut paulo infra videbimus num. VI. *Probinum*, ſive *Probum* ſæculo ſexto tempore ſancti Gregorii unice inniti (ſi fides Ughellio) privilegio ejuſdem Pontificis indulto Monaſterio Sancti Medardi in Galliis, cui dicitur ſubſcripſiſſe: quod privilegium plane fuiſſe confictum, inter eruditos vix eſt qui nunc dubitet. Quid vero, ſi inter cetera Epiſcoporum nomina nullum in eo diplomate Probini Reatinæ Civitatis Epiſcopi nomen occurrat? Quo codice uſus Ughellius ſit, neſcio. In Victorino, quo uſi ſunt Patres Benedictini Congregationis S. Mauri, quique unus eſt, in quo hoc diploma contineatur, *Probinus* certe deſideratur (2). Hinc Probinum hunc cenſeo a ſerie eſſe delendum.

Probianus Seculo quinto & *Probinus* ſæculo ſexto utrum a S. *Probo* diverſi.

Probinus Sæculo ſexto vel non fuit Epiſcopus Reatinus vel a *Probo* non diſtinguendus.

IV. Itaque, S. Probo ex quarto ad dimidium ſæculi ſexti deducto, remanet, ut agmen Reatinorum Epiſcoporum *Probianus* ducat, ſi a Probo ſit diſtinguendus, de quo magnum eſt mihi dubium. Vixiſſe Probianus dicitur ad finem ſæculi quinti anno 494. Etſi vero nullus præſto ſit Reatinus Epiſcopus, qui ſit Probiano ſuperior, nunquam tamen in animum inducam

(1) Dialogos, proindeque hiſtoriam de Probo Epiſcopo Reat. conſcripſit S. Gregorius anno 593., aut 594. - Conſule præfationem in Dial. ejuſdem *num. XVIII.* Eſt in *tom. II. ejus Operum edit. a PP. Maurinis pag.* 113. *edit. Venetæ anni* 1744.

(2) Conſule nomina Epiſcoporum in eo diplomate ex codice Victorino *Tom. II. Operum S. Greg. editor. a PP. Maurin. edit. Ven: anni* 1744. *in Appendice ad Epiſt. S. Greg. col.* 1841.

Epiſcopi Reatini utrum fuerint ante ſæculum quintum

cam meum, eumdem Epiſcopis omnibus ſic præiviſſe, ut fuerit omnium primus. Cum Cures, Nomentum, Forum novum celebres quidem olim urbes in Sabinis, Strabonis tamen ætate ævo Auguſtæo ipſo met teſte, oppidula & vici ſuos nobis exhibeant a tempore ſuperiori Epiſcopos: Reatinam urbem in eadem Sabinenſi provincia omnium tunc caput, & Principem non niſi poſt eas tempore Epiſcopum habuiſſe quis credat? In actis Sancti Eleuterii Epiſcopi, & Martyris, quæ a Reatina Eccleſia Papebrochius accepit, Epiſcopus quidam commemoratur Reatinus, nomine *Primus*, qui ejus Martyris, & Antiæ ejuſdem Matris corpora dicitur tumulaviſſe in ſuo prædiolo mille ab ea urbe paſſibus diſſito ſecundi ſæculi initio ſub Hadriano Imperatore (1). Dubium excitat Papebrochius (2) dictus ne fuerit ille Epiſcopus *Primus*, propterea quod nullum ſibi in hac ſerie ſuperiorem habuerit, an potius nomine proprio. Sed quorſum hæc quæſtio, cum, teſte ipſo met Papebrochio, ea acta tot ſcateant fabulis, ut oculis carere dicendus ſit, qui ea conficta fuiſſe non videat? Cæterum cum ex Codicum depravata lectione, ex librariorum inſcitia, teſte Dominico Georgio (3), maxima ſit orta confuſio de Martyrii eorum Sanctorum loco; pleraque vero nec pauca Martyrologia, & Kalendaria Romæ Sanctos Martyres pro fide occiſos affirment: Nulla autem Reate præter Codicem Reatinum omnium opinione damnatum, nullum video ſtabile fundamentum, quo locus *Primo* inter Epiſcopos concedatur, ſive dicatur fuiſſe *Primus* nomine, ſive *Primus* in ordine.

Secundi Sæculi initio non fuit Reatinus Epiſcopus nomine *Primus*.

V. Probiano ſuffectus dicitur *Urſus* omnium primus,

(1) Acta referuntur a Papebrochio *Tom. II. Aprilis ad diem XVIII.*, ubi de Ss. Eleuterio, & Antia ejus Matre.

(2) Ibidem.

(3) In notis ad Martyrol. Adonis ad diem XVIII. Aprilis pag. 161.

mus, quem certo Reatinæ Eccleſiæ præfuiſſe noſcamus initio ſæculi ſexti. Interfuit enim conciliis ſub Symmaco celebratis anno 501., & 504.. Urſum ſecutus eſt *Probus*, de quo ſatis ſupra: Probum *Albinus* non quidem fortaſſe proxime, ſed intervallo non multo. Hunc enim Reatinum Epiſcopum fuiſſe Sancto Gregorio Summo Pontifice, ex ipſo met Sancto Doctore non obſcure colligitur (1). Cum enim Petrus ejuſdem Diaconus admiranda Sancti Equitii acta ab eo cognoſcere vehementer optaret, & Sanctus Pontifex ejus deſiderio ſatisfacere non renueret, eorum quæ dicturus erat, teſtem appellat *Albinum Reatinum Epiſcopum*, alioſque non paucos adhuc ea ipſa ætate viventes (2). Vivebat igitur eo tempore, quo Sanctus Gregorius hæc ſcribebat, Albinus, etſi admodum, ut videtur, ſenex, anno ſcilicet 593., aut 594., quibus Dialogos a S. Gregorio conſcriptos fuiſſe ſupra notavimus. Ideoque emendandus Ughellius, qui anno 550 eum ſediſſe in hac Cathedra ſcripſit, ut egregie etiam Mabillonius animadvertit (3).

Albinus Reatinus Epiſcopus quando floruerit.

VI. *Probianus* & *Albinus* S. R: E. Cardinalitia dignitate fulſiſſe dicuntur a Ciaconio, Gratiano, & Angelotto, teſte Lucentio. Et primum quidem geſſiſſe titulum Sancti Euſebii, alterum vero Sancti Cyriaci, utrumque presbyteralem. Animadvertenti mihi, unde id laudati Scriptores accipere fortaſſe potuerint, primo occurrit Romana Synodus anno 595. ſub Magno Gregorio, in qua poſt Epiſcopos, qui ejuſdem decreta ſuo nomine confirmaverunt, inter titulares Eccleſiæ Romanæ Presbyteros legimus etiam nomen Albi-

Probianus, ſive Probinus, & Albinus Epiſcopi Reatini non fuerunt S. R. E. Presbiteri Cardinales.

B ni

(1) *Dialog. lib. I. cap. IV.*

(2) Ibidem, ubi ſic - *Ne tamen vitæ ejus* (S. Equitii) *cognitione frauderis, bene hanc Reverendiſſimus vir Albinus Reatinæ Antiſtes Eccleſiæ cognovit, & adhuc superſunt multi, qui ſcire potuerunt.*

(3) *Tom. I. Actor. SS. Ordinis Bened: in notis ad vitam S. Equitii.*

ni Epiſcopi in hunc modum - *Albinus Presbyter Epiſcopus tituli Sanctorum Petri, & Marcellini* (non Sancti Cyriaci). Occurrit & alia, ſub eodem Sancto Gregorio anno 601., in qua *de Probino Preſbytero Sancti Euſebii* fit inter ceteros Patres mentio (1). Suſpicatus ſum, laudatos ſcriptores Probianum, ſive Probinum, & Albinum, qui iis conciliis interfuiſſe leguntur, ab eo Probiano, ſive Probino, & ab eo Albino non diſtinxiſſe, qui fuerunt Epiſcopi Reatini: Ideoque & Cardinales Presbyteros, & Epiſcopos Reatinos *fuiſſe*, cenſuiſſe. Si vero tollas nominis ſimilitudinem, quodnam eſt fundamentum, quo id affirmetur? Nullum plane. Nec mirum, cum in oppoſitum clamet omnis antiqua traditio. Etenim dictos Cardinales eos Epiſcopos, quibus Eccleſiæ Paſtoribus viduatæ ita committebantur, ut eæ ipſæ nulli poſſent alteri, niſi poſt eorum obitum commendari, pluribus probat Thomaſſinus (2). At vero Eccleſiarum Epiſcopos inter Eccleſiæ Romanæ Cardinales eo ſæculo, multiſque ſequentibus adnumeratos, non ſolum nullum eſt, quo id probari poſſit, exemplum; ſed etiam vetitum lego decreto Romanæ Synodi ſub Stephano IV.; propterea quod ſacris antiquis canonibus, decretiſque Sanctorum Patrum adverſaretur (3). Cognoſcebant jam tum ſiquidem, Cardinalitiam Presbyterorum, & Diaconorum Romanorum dignitatem facile ipſis Epiſcopis invidendam, cum ex illorum cætu plerumque ſeli-

(1) Conſule Codicem Bigotianum Concilii habiti Romæ anno 595. apud PP. Benedict. Congr. S. Mauri *Tom. II. Oper. S. Gregorii in Appendice pag.* 1291. *edit. Venet.* Conſule eandem Appendicem *pag.* 1297., ubi eſt ſynodus Romana anni 601. ex codicibus Vatic. Reg. Teller. Colbert. &c.

(2) Loco laud.

(3) *Siquis ex Epiſcopis ..... contra Canonum, & Sanctorum Patrum ſtatuta prorumpens in gradum majorum S. R. E., ideſt Preſbyterorum Cardinalium, & Diaconorum ire præſumpſerit ..... ipſi, & ſibi faventibus fiat anathema &c.* Ex collect. Rom. *pag. mihi* 263

ſeligerentur, qui Petri ſedem implerent, Epiſcopis omnibus ab hac tanta dignitate remotis, prohibitiſque, ut ſatis Formoſi, & Stephani VI. acta ſignificant (1). Erit fortaſſe, qui eam ipſam Romanam Synodum anno 595., de qua paulo ante, nobis obiiciat, in qua poſt Epiſcopos, qui ejuſdem decreta ſuo nomine confirmarunt, inter titulares Eccleſiæ Romanæ Presbyteros legimus etiam nomen Epiſcopi Albini, ut ſupra diximus. Cum vero unus inter plurimos codex ſit Bigotianus, qui Albinum, & paucos alios Presbyteros ſimul Cardinales Romanæ Eccleſiæ, & Epiſcopos nobis exhibeat, præterea nullum, non multum auctoritatis huic codici cenſeo tribuendum. Non negaverim tamen Probinum, & Albinum Reatinæ Eccleſiæ præfici potuiſſe, cum eſſent Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinales, titulo tamen Presbyterali cum dignitate Cardinalitia relicto. Id enim infrequens quidem, ſed tamen factum aliquando fuiſſe in vita Sancti Gregorii Magni Joannes Diaconus fidem facit (2). Sed eſt redeundum ad ſeriem.

VII. Probino deleto Albinum, de quo ſupra, *Gaudioſus* excepit: Gaudioſum *Hadrianus*, quorum ſeries ex Conciliis, quibus interfuerunt, eſt certa, ut videre eſt apud Ughellium. Inter Hadrianum Concilio præſentem ſub Agathone anno 680., & Hiſermundum ſive Hiſemundum hujus nominis primum anno viventem 773 implenda patet non exigua lacuna. Immi-

 nuit

(1) Conſule Baron. *ad annum* 896., *& ſeqq.* Conſule Panvin. *annot. in Platinam pag.* 112. ubi - *Formoſus Papa, ut ego obſervavi, omnium Romanorum Pontificum primus ex alienæ diœceſeos Epiſcopo Romanus Pontifex factus eſt, cum ante ipſum non niſi ex Preſbytero vel Diacono Cardinalibus factus fuiſſet Romæ Papa.* Idem refert vetuſtiſſimus, & ſine Auctoris nomine ſcriptus liber Bibliothecæ Vaticanæ.

(2) *Lib. III. num. VII.*, ubi ſic - *Si quando neceſſitas ordinandi Sacerdotis* (ideſt Epiſcopi) *obrepſit, neque Cardinales Eccleſiæ ſuæ, neque Monachos Monaſterii ſui penitus excuſavit, quominus illis regendam Eccleſiam committeret.*

nuit hanc *Teuto*, ſive *Teuzo* hujus nominis primus, qui in Farfenſibus monumentis tam frequenter occurrit, ut mirum videri poſſit, latere tamdiu potuiſſe. Primum monumentum continet judicium latum *a Teutone Epiſcopo Reatino* una cum Probato & Precone Gaſtaldio *anno feliciſſimi regni Domini Haiſtulphi in Dei nomine V. Menſe Auguſti per Indictionem VI.* anno videlicet 753. contra Clericum Maurum pro Monaſterio Farfenſi. Lis erat de quodam *Caſali Turraniano*, quod eo nomine ſibi debitum contendebat Clericus Maurus, propterea quod ſibi collatum diceret a Bertone Gaſtaldio, ſine dubio Reatino. Cum vero Adualdus, & Goderiſius Monaſterii patroni publicis productis literis oſtendiſſent, Caſale ipſum dono tempore ſuperiori datum Monaſterio a Spoletano Duce Lupone (1), confirmatumque ab Italiæ Rege, ut puto, Ratchiſio, Maurus judicio ſuccubuit (2).

Temzo, ſive Teuto Epiſcopus Reatinus Sæculo octavo Ughellio non cognitus.

VIII Alia plura de eodem Epiſcopo Teutone monumenta produxit ex Tabulario Farfenſi Vir Cl. mihi amiciſſimus cum laude a me ſemper commemorandus D. Abbas Petrus Aloyſius Gallettus (3), quæ nos faciunt de eadem ejus ætate certiores. *Regnante*, ut ibi dicitur, *Domino noſtro Haiſtulpho Excellentiſſimo Rege anno feliciſſimo regni ejus in Dei nomine VII., ſed & viri magnifici Probati Gaſtaldii Civitatis Reatinæ menſe Novembris per indictionem VIII*, anno videlicet 755, *a Deo dilectus TEUTO EPISCOPUS per conſilium, & voluntatem Sacerdotum Suorum concambiavit caſale, qui nominatur Juvianus cum ipſo colono, qui reſidebat in ipſo caſale nomine Her-*

(1) Lupus, ſive Lupo Spoletanum Ducatum iniit anno 746. ut colligitur ex Catalogo Farfenſi.
(2) *Ex Reg. Farf. apud Murat. tom. V. antiquit. medii ævi diſſert. LXVII.* Conſule etiam Reverendiſſimum Petrum Aloyſium Abbatem Gallettum *de Gabiis in Sabinis pag.* 19. *Nota* 2. *ex eodem Reg. n.* 39.
(3) *Lib. laud. de Gabiis civit. vetuſt. Sabin.*

Herfulo cum omnibus quæcumque habere videbatur mobilibus, vel immobilibus, cultum vel incultum Sanctiſſimo Fulcoaldo Abbati omnia, & in omnibus; unde in ſua nihil reſervavit poteſtate. Actum ad ſanctum Cæſarium in Sabinenſi territorio Menſe & Indictione ſupraſcripta feliciter. EGO TEUTO EPISCOPUS (1). Interfuit etiam idem TEUTO REATINÆ CIVITATIS EPISCOPUS una cum Alfredo Civitatis ejuſdem Gaſtaldio aliiſque cuidam judicio, quod a Giſulpho Spoletano Duce in eadem Reatina urbe habitum eſt de quodam Sancti Anthymi Templo *inter Alfredum Exercitalem, atque Joannem Cœnobii Farfenſis Monachum Menſe Februario indictione XIV. regnante Domno Deſiderio, & Adelchiſio Filio ejus piiſſimis regibus anno regni eorum Deo propitio V, & II. temporibus Giſulphi glorioſi Ducis anno Ducatus ejus in Dei nomine II.*, ideſt anno 761. (2). Reviviſcit etiam ejuſdem *Teutonis Epiſcopi* memoria ex eo judicio, quod Ludovici Pii Imperatoris anno XVI. menſe Januario indictione VII. latum eſt per Cæſareos judices Joſephum Epiſcopum, & Leonem Comitem Romæ in Palatio Lateranenſi contra Pontificios miniſtros, qui nonnulla ejuſdem Monaſterii bona uſurpaverant. Inter enim plura diplomata Ingoaldus Abbas quaſdam tunc prodidit tabulas, quibus patebat, Reginam Anſam Deſiderii quondam Regis uxorem, facta bonorum quorumdam permutatione cum *Teutone Epiſcopo Reatino*, jus ſibi acquiſiviſſe *ſupra curtem*

San-

(1) Apud. Gallet. ibidem & Murat. ubi ſupra, qui tamen hanc Teutonis permutationem ad annum collocat 754. Indictio vero octava annum ſignat 755. Eumdem annum confirmat Haiſtulphi regis annus ſeptimus. Haiſtulphus enim, ut probat ibidem Muratorius, ſolium aſcendit anno 749. ante menſem Julium. Hinc anno 755. menſe Novembris annum agebat regni ſeptimum.

(2) Conſule Gallet. *Lib. laud. pag.* 90. *ex Reg. Farf. num.* 53. Conſule Reg. ipſum Farf. apud Murat. ubi ſupra pag. 690.

Sancti Viti, quam ipſa Filiæ Anſelbergæ Abbatiſſæ in Monaſterio Sancti Salvatoris Brixiæ (nunc a Sancta Julia denominatur) permiſerat: Anſelberga vero Farfenſi poſtea Monaſterio conceſſerat (1). Itaque cum eo tempore vixerit *Reatinus Epiſcopus* TEUTO, quo Anſelberga Monaſterium Sancti Salvatoris a ſe fundatum adminiſtrabat: Monaſterium vero illud initium habuerit juxta Sigonium anno 759. (2), eadem quæ ſupra ætas Epiſcopi Teutonis confirmatur.

IX. De hoc eodem Teutone Epiſcopo Reatino occurrit mentio in alio Caroli Magni judicio Spoleti habito anno 781., in quo, cum quidam nomine *Pando* adverſus Hildeprandum Ducem conquereretur, quod Monaſterium Sancti Angeli Reate ſuburbanum ſibi ab Amita ſua, confirmante Liutprando Rege, conceſſum abſtuliſſet, & Guicperto Reatino Epiſcopo tradidiſſet, Dux Hildeprandus objecit - *Cur hoc præceptum non oſtendiſſet, cum Frater ejus* TEUTO *Epiſcopus adverſus ipſum in præſentia Teudicii Ducis hoc Monaſterium ad partem Palatii defenſaret?* Tandem cum Ramgambaldus Abbas Farfenſis interpoſito Sacramento fidem feciſſet de eo Monaſterio poteſtati Palatii, ſive Regis olim adjudicato; & ipſe met *Pando* confeſſus eſſet, ſe judicium illud a *Teutone Epiſcopo* in extremis poſito accepiſſe, & poſtea combuſſiſſe, quod ſibi eſſet adverſum, cauſa cecidit (3). Hæc acta cum fuerint anno 781., & *Teutonem* memorent Spoletano Duce Teudicio, ſive Theodicio, qui eum Ducatum inivit anno 762. (4), viventem adhuc oſtendunt Teutonem

(1) Conſule Mabillon. *in append. ad tom. II. Annal.* Bened. Ducheguium *Rerum Franc. tom. III.* Murat. *ad annum* 826. *Annal. Ital. ex Chr. Farſ.*

(2) Ex Murat. *ad annum* 766. *Annal. Ital.*

(3) Conſule Mabillon. *tom. II. Annal. Bened. lib. XXV. num. XVIII. ex Chron. Farſ.*

(4) Teudicium, ſive Theodicium Spoletano Ducatui præeſſe

tonem eo anno, aliiſque multis fortaſſe ſequentibus (1).

X. Teutonem ſequitur *Hiſemundus*, ſive *Hiſermundus* hujus nominis primus, de quo Ughellius ex vetuſtiſſimo monumento donationis factæ Reatinæ Eccleſiæ a Duce Teudicio, non Reatino, ut male interpetatur Ughellius, ſed Spoletano. De veritate hujus monumenti, proindeque de ipſo met Hiſemundo Galletus dubitat: propterea quod multa in eo ſint menda (2). Oportet igitur, ut ea ad examen vocemus, & notas præcipue temporis conſideremus. Tabulæ ejus donationis factæ fuiſſe dicuntur *Regnante Deſiderio, et Adelchio Filio ejus piiſſimis regibus anno regni eorum XVIII Ducatus vero Teudicii X. Menſe Junio Indictione X.* Annus Ducatus Teudicii X. in Annum cadit 772. Eum enim inivit, ut obſervavimus Anno 762.. Menſe Junio ejus anni indictio erat X, ut obſervanti patebit. Eo igitur anno fieri debuit ea donatio. Neque in hoc mendum ullum mihi videtur occurrere. Occurrit vero quam maximum notas temporis conſulenti, quo Deſiderius Langobardorum regnum adminiſtravit. Cum enim regnum Deſiderius inivertit Anno 757., ut ex plurimis monumentis Muratorius oſtendit, aſſentientibus primæ notæ Scriptoribus (3), conſequens eſſet, ut annus regni ejus XVIII. in

Hiſemundus utrum Teutoni in Cathedra Reatina ſuffectus ſæculo octavo.

eſſe cœpiſſe anno 762. argumento ſunt plurimæ donationes, quæ in reg. Farfenſi dicuntur factæ ejuſdem Ducatus tempore, in quibus, ſi indictiones computentur cum annis ejus Ducatus: Indictiones vero intelligantur initium ſumere a menſe Septembri, ſicuti erant Imperatoriæ, quæ tunc videntur adhibitæ fuiſſe, primus ejus Ducatus annus in annum cadit Æræ communis 762. Conſule eas donat: apud Murat. *loco laud. ex reg. Farf.*

(1) Quandoquidem Epiſcopus Teuto Teudicio Duce adhuc erat in vivis: Et anno Teudicii ejuſdem decimo, ideſt 772 erat Reatinus Epiſcopus Hiſemundus, conſequens eſt, ut Epiſcopus Teuto inter annum 762., & 772. mortem objerit.

(2) *Lib. laud. pag.* 107.

(3) In Annal. Ital. ad annum. 756.

Digitized by Google

in annum caderet 775. Porro eo anno Menſe Junio poſt Deſiderium regno ſpoliatum annum regni in Italia 11. jam Carolus numerabat, ut ex pluribus ejuſdem diplomatibus certo cognoſcimus. Aliud adde non minus grave: eoſdem videlicet annos regni tribui Adelchio Filio, quos Patri; cum tamen extra dubium ſit, annos ſaltem duos Deſiderium Adelchio præiviſſe in regno adminiſtrando (1). Nihilo tamen minus hæc mihi tanti non ſunt, ut eam donationem de commento condemnem. Hæc enim, & ſiqua ſunt alia (ſunt autem multa) verborum menda, tribuenda cenſeo inſcitiæ, oſcitationique Scriptoris, qui, cum verborum, & numerorum vim fortaſſe non penetraret, plurima verba, numeroſque vel ex ingenio ſuo detorſit, vel ex nimia ſcribendi celeritate mutavit. Et vero quam iniquis Scriptoribus uteretur Ughellius in antiquis Scripturis ex Archetypis traducendis, cui ignotum? Ceterum nullus dubito, quin in primigenia illa ſcriptura ſic ſcriptum fuiſſet: *Regnante Deſiderio, & Adelchio Filio ejus piiſſimis regibus regni eorum* XVI., *&* XIV. *vel* XIII. (2). Hæ enim numericæ regni utriuſque regis notæ anno congruunt 772., quo & Teudicius Ducatus annum agebat X. & X. currebat indictio, ut diximus. Ex donationis amplitudine nulla mihi de ejus ſinceritate ſuſpicio. Præterquam quod enim æque amplæ ſimiles donationes cum ejuſdem met Teudicii, tum

(1) Deſiderius regnum inivit ex communiori opinione anni initio 757., ut mox aſſeruimus; Adelchius Filius ejus in regni ſocietatem adſcitus eſt a Patre juxta aliquos ad anni finem 758, Deſiderii II, juxta alios anno 759, Deſiderii III.; utraque ſententia multis diplomatibus confirmatur. Conſule Murator. *Annal. Ital. ad annum* 758.

(2) Juxta diverſas modo expoſitas opiniones. Ceterum donationem hanc diverſo modo nobis Naudæus inſinuat *ex tabul. Reat. Arm. VII. faſcic.* H. ubi in ea donatione ſic legit: *Regnante DD. Deſiderio, & Adelchio Filio ejus anno regni* ejus XVIII. non *regni* eorum.

tum aliorum Ducum, & Gaſtaldiorum legere eſt non infrequentes in regeſto Farfenſi (1), non adeo ampla eſt ea donatio, ut aut fidem ſuperet, aut probabilitatis fines excedat.

XI. Quinque ſecuti ſunt Hiſemundum Epiſcopi, qui hactenus in tenebris latuerunt. Videlicet *Agio*, *Sinualdus*, *Guicpertus*, ſive *Wicpertus*, *Alefridus*, ſive *Godefridus*, & *Hiſemundus* Secundus ejuſdem nominis, a quibus magna ex parte & fortaſſe univerſum repletur ſpatium illud, quod Hiſemundum primum, & Colum interjacebat Epiſcopis vacuum ab anno 773. ad annum 853.

XII. *Agio* ex quadam quæſtione fit notus, quam ante Hildeprandum Spoleti Ducem habuit Probatus Abbas Farfenſis cum Hilderico Sculdore, qui Reatinæ Eccleſiæ res procurabat, *Agione Epiſcopo Reatino electo præſente*, Menſe Januario indictione XIV. ideſt anno 776. (indictio enim XIV ſemel Hildeprando Duce cucurrit eo anno: cum factus fuerit Dux Spoletanus anno 774, & 789. deceſſerit (2), de quodam caſali *Balberiano* (3), de quo paulo poſt redibit ſermo. Vitam producere diu *Agio* non debuit: incertumque eſt, fuerit ne conſecratus; Etenim anno eodem 776. Menſe Decembri Reatinam Cathedram jam *Sinualdus* implebat, a quo *Agio* dicitur ſolum *electus*. (4)

Agio Reatinus Epiſcopus ſæculo octavo poſt Hiſemundum Ughellio non notus.

XIII. *Sinualdus* igitur Agioni ſuffici debuit; proditurque ex duobus judiciis, quæ annis 776. & 777.

C Spo-

(1) Apud Murat. *lib. & diſſert. laud.*

(2) De Hildeprandi Ducatus epocha legendus eruditiſſimus Octavius Turchius de Pontif. Camerin. *diſſert. prælimin. cap. 1. §. IV. nota 9.* ex Pratillo, Murat., Lillio, Galletto &c. Romæ typis de Rubeis anno 1762.

(3) Eam quæſtionem cum Hildeprandi decreto vide apud Gallet. *lib. laud. pag. 93. ex tabul. Farfen.*

(4) In judicio Hildeprandi apud Gallet. *lib. laud. in appendice num. IX. pag. 36. nota 4.*

Digitized by Google

Sinualdus Reatinus Epiſcopus Ughellio non notus Agionem excepit ſæculo octavo,

Spoleti tulit Dux Hildeprandus. Primum ex tabulario Farfenſi compendio ſic recitat Mabillonius (1). *Cum Spoleti reſideret* (Dux Hildeprandus), *ſimulque cum eo adeſſent Adeodatus Epiſcopus Spoletanus, Gualtarius Epiſcopus Firmanus, Vadepertus Balbenſis, Auderiſius Eſculanus cum aliis Comitibus, & Gaſtaldis, ad eorum præſentiam acceſſit* VENERABILIS SINUALDUS EPISCOPUS CIVITATIS REATINÆ *una cum Sacerdotibus ſuis altercationem habens cum Probato Abbate Monaſterii Sanctæ Dei genitricis Mariæ, & cum ſuis Monachis de Caſali Balberiano, quod idem Sinualdus aſſerebat Eccleſiæ ſuæ B. Hiacynthi conceſſum fuiſſe a quodam Lupone Filio Liutperti in die tranſitus ſui. Et nihilominus idem Caſale a Probato Abbate occupari conquerebatur. Contra Probatus reponebat ipſum Liutpertum ex Curte Germaniciana, dum ibidem Actoris officium ageret, hoc Caſale ſubduxiſſe, non obſtante præcepto Haiſtulphi Regis, qui ipſam Curtem Germanicianam cum omnibus caſalibus, & pertinentiis ſuis Monaſterio Sanctæ Mariæ conceſſerat. Quo præcepto relecto Sententia dicta eſt ſecundum Farfenſes Menſe decimo*, ſive ut Gallettus habet, qui judicium ipſum ex Farfenſibus monumenentis integrum recitat (2) *Menſe Decembri per indictionem XV.* Hæc indictio Decembri menſe Hildeprandi Ducatu annum notat 776. proxime terminaturum (3). Anno ſequenti Men-

(1) *Tom. II. Annal. lib. XXIV. num. LXXVIII. ad annum 777.*
(2) *Lib laud. pag. 92.*
(3) Gallettus, & Mabillonius locis laudatis judicium hoc referunt ad annum 777. non 776. Cum vero quæ in uſu erant iis temporibus indictiones plerumque eſſent Conſtantinianæ, ſeu Imperatoriæ, quæ initium habebant a die 24. Septembris, non vero Romanæ, ſeu Pontificiæ, quæ a Kalendis Januarii ſimul cum anno Juliano ducebant exordium, hinc indictio XIV finem habuerat menſe Septembri anni 776., cæperatque currere eodem menſe.

Menſe Martio indictione XV, proindeque 777, cum judicium Hildeprandus haberet in Spoletano Palatio una cum Adeodato, & Sinualdo Epiſcopis, aliiſque judicibus, mota quæſtione de Monaſterio Sancti Archangeli Michaelis juxta mænia Civitatis Reatinæ, utrum ad Reatinam pertineret Eccleſiam, quemadmodum SINUALDUS EPISCOPUS contendebat: an contra *Palatio*, ſeu regiæ juriſdictioni ſubeſſet, ut quidam *Rimo* affirmabat, eo deducta res fuit, ut die condicta *Sinualdus* quinque Presbyteros paratos haberet, qui rem Sacramento firmarent. Sacerdotibus vero morem Epiſcopi ſui voluntati gerere renuentibus judicium latum eſt contra *Sinualdum* (1)

XIV. Suffectus fuit Sinualdo *Guicpertus*, ſive *Wicpertus*, de quo mentio in Farfenſibus monumentis cum Menſibus Martio, & Aprili anni 778, tum menſe Julio 780., ut mox obſervabimus. Facile eſt ex his judicare, neque Sinualdum Sedem hanc occupare diu debuiſſe, eamque Guicperto ceſſiſſe vel anno 777 poſt menſem Martium, vel ineunte 778. Tres igitur brevi annorum duorum ſpatio vidit Cathedra Reatina Pontifices: Agionem, Sinualdum, atque Guicpertum. Vita functum eo anno Sinualdum autumat Mabillonius (2). Suſpicatur de Magiſtratu abiiſſe Gallettus (3). Etenim animadvertit in alio munumento a Nobis mox referendo de Sancti Archangeli Monaſterio a Guicperto Epiſcopo Reatino Farfenſibus tradito anno 770. inter alios qui ſubſcripſere, *Sinualdum*

Guicpertus, ſive Wicpertus Vghellio non notus Sinualdum ſequitur in Reatino Pontificatu ſæculo octavo.

Sinualdus Reatinus Epiſcopus a ſua ſe Eccleſia probabiliter abdicavit.

ſe indictio XV.;. Quæ proinde Menſe Decembri eumdem annum notat nondum præteritum. Conſule Muratorium *Antiquit. medii ævi tom. 1. diſſert. VIII. pag.* 439. Conſule Ejuſdem Annal. ad *annum* 882. Hiacynt. Amat. de Graveſon. *appar. Chr. parag. 1. de indict.*

(1) Conſule Mabillonium *tom. II. Annal. lib.* XXIV. *num. LXXVIII.* *Ex Chr. Farf.* Gallett. *lib. laud. pag.* 38.

(2) Ibidem.

(3) Ibidem.

dum quoque Epiſcopum legi, Eccleſiæ, cui præerat, nulla facta mentione. Sinualdum hunc ſi eum ipſum fuiſſe credamus, qui ante Guicpertum Reatinus Ediſcopus fuerat, extra probabilitatis fines non opinabimur. In hac me opinione confirmat judicium illud, quod anno 781 Spoleti Rex Carolus habuit, cujus Nos ſupra meminimus numero IX. Etenim inter alios Carolo adſidentes Epiſcopos legimus etiam fuiſſe *Sinualdum Epiſcopum*, Eccleſia, cujus erat Epiſcopus, eodem ſilentio prætерita (1).

Guicpertus Reatinus Epiſcopus quamdiu hanc Eccleſiam adminſtraverit. Utrum poſt paucos Menſes ſuffectus illi fuerit Petrus ſæculo octavo.

XV. Si Reverendiſſimum Gallettum audiamus, breviſſimam quoque *Guicpertus* vitam duxit in Reatino Pontificatu. Etenim cum menſe Martio 777. Reatinam ſedem adhuc Sinualdus impleret: Immo ex Ejus & Mabillonii opinione menſe quoque Decembri ejuſdem anni (2), proindeque non niſi initio anni 778 potuerit eam Guicpertus aſcendere, exiſtimat ſuffectum illi fuiſſe, neſcioquem *Petrum* eodem anno 778 Aprili menſe (3): Sive quod huic Eccleſiæ nuntium Guicpertus remiſerit, ſive quod morte fuerit interceptus. Ego Guicperto huic & vitam, & Pontificatum paulo longiorem tribuo ad annum ſaltem 780. *Petrum* vero accenſendum arbitror Sabinenſibus, non Reatinis, ut, impetrata a doctiſſimo, & amiciſſimo viro venia, conatus ſum alibi oſtendere (4). Quoniam vero tantum abfuit, ut communem aſſenſum extorquere potuerim; ut non defuerint, qui in opinionem adverſam abierint, ſive potius in ea ſe confirmaverint, non arbitror, importunum, ſi, quæ illic adducta a me ſunt, hic a me paulo clarius repetantur, & eorum difficultatibus occurratur. *Petrus* igitur *Epiſcopus*, de quo hic ſermo

(1) Conſule Mabillonium *Tom. II. Annal. lib.* XX*IV. num. XVIII.*
(2) Conſule quæ ſupra diximus *num. XIII. nota* 2.
(3) *Lib. laud. pag.* 39.
(4) *De Eccleſ. & Epiſc. Sabinen. num.* X*V.*, *& ſeqq.*

mo, reviviſcit beneficio Farfenſis monumenti, ex quo illum non ita pridem eruditiſſimus Gallettus eduxit (1). Monumentum autem eſt ſequens: *In nomine* DEI SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI *Regnante Domino noſtro* KAROLO *viro excellentiſſimo Rege* FRANCORUM, ATQUE LANGOBARDORUM *anno Regni ejus in* ITALIA V. *Sed & temporibus Domini viri glorioſi* HILDEPRANDI *Summi Ducis Ducatus* SPOLETANI, *& viri magnifici* RIMONIS *Caſtaldi* CIVITATIS REATINE *menſe Aprilis per indictionem* I. EGO PETRUS VENERABILIS EPISCOPUS *una cum conſenſu Sacerdotum meorum cambiavimus Tibi* PROBATE ABBAS *vel cuncte congregationi Sancte Dei genitricis* MARIE *aquam noſtram que eſt in caſale noſtro* MUTELLA *de illa fonte unde recepimus in cambio qui ſupra* PETRUS VENERABILIS EPISCOPUS *una cum Sacerdotibus meis a vobis* PROBATE ABBAS *vel Monachis tuis terram rationalem ſuper ipſam formam in caſale* MUTELLA *modiorum decem cum arboribus qui in ipſa terra ſtare videntur quatenus ab hac die firmum & ſtabile ſit inter nos cambium noſtrum & neque nobis neque ab ullo Succeſſore poſteroque noſtro aliquando contradicatur & quidquid de ipſa aqua facere volueritis in omnibus firmiſſimam habeatis poteſtatem Et que pars cambium iſtud moleſtare preſumpſerit componat alteri ſolidos centum Lucanos & carta iſta in ſua permaneat ſtabilitate & quod ſuperius minime fecimus ſi quoque tempore ipſa forma rupta fuerit vos habeatis licentiam per ipſam terram noſtram eamdem formam reconciliare. Actum in Reate menſe & indictione ſupraſcripta* ✝ EGO PETRUS INDIGNUS EPISCOPUS *in hac cambiationis a me facta manus mea* ✝ EGO HALO *Presbiter, & vicedominus manus mea* ✝*Ego*

(1) *Lib. laud. in Appendice num.* IX. *pag.* 93.

Digitized by Google

✝ *Ego* SOLDULUS *Clericus manus mea* ✝ *Ego* GUALDEPERTUS *Presbiter manus mea* ✝ *Ego* LIUTPRANDUS *Subdiaconus manus mea* ✝ EGO ANSERAMUS *Clericus manus mea* ✝ EGO GROSSIO *Archiclericus manus mea* ✝ EGO GUDEPERTUS *Notarius Scriptor hujus carte complevi & dedi*.

XVI. Petro igitur huic inter Reatinos Epiſcopos non inter Sabinenſes locum Abbas Gallettus dedit: fortaſſe, quia monumentum illud in Urbe Reatina confectum vidit: & alia dum ſpectat (quid enim ad ipſum de Gabiis in Sabinis agentem (1), ſive Sabinenſium, ſive Reatinorum Epiſcoporum ſeries?) non cenſuit profundius examinandum. Sed eo anno, quo monumentum illud confectum fuit, ſcilicet 778 Aprili menſe Petrum in Reatina Cathedra ſedere minime potuiſſe, ex ipſo Galleto rem cenſeo manifeſtam. Eo enim anno ipſo Menſe Martio *Guicpertum* in ea ſedentem invenio in monumento, quod ipſe Gallettus protulit (2); datum enim eſt, *regnante Domno noſtro Karolo excellentiſſimo rege Francorum, atque Longobardorum anno regni ejus in Italia Deo propitio IIII. Datum Juſſionis Spoleti in palatio anno Ducatus noſtri* (Hildeprandi) *V. Menſe Martii per indictionem* 1. *ſub Rimone Gaſtaldio* (3) Contine-

Petrus neque Guicperto ſuffectus eſt, neque fuit Epiſcopus Reatinus ſæculo octavo ſed potius Sabinenſis.

(1) Præter alios libros magno Reipublicæ literariæ bono vulgatos a D. Petro Aloyſio Abbate Galletto, de quo tam frequens mentio in hoc commentario, librum edidit erudititiſſimum, in quo totis viribus probare contendit, præter Gabios in Latio aliam fuiſſe urbem ejuſdem nominis in Sabinis poſitam in eo loco, qui nunc ab incolis dicitur *Turris*.

(2) *Lib. laud. pag.* 38.

(3) Mirum fortaſſe videri poterit, in hoc diplomate annos regni Caroli in Italia annis Ducatus Hildeprandi non reſpondere, ſicuti reſpondere videmus in ceteris diplomatibus. Admiratio ceſſabit, ſi animadvertatur, Hildeprandum electum quidem fuiſſe a Spoletanis Ducem eodem anno, quo Carolus Italicum regnum obtinuit, ſcilicet 774; ſed Superioribus menſibus. Carolus

tinetur in eo monumento Hildeprandi Ducis Spoletani diploma, quo concedit *Monaſterio B. Archangeli Michaelis, quod ſitum eſt foris ponte ſecus civitatem noſtram Reatinam & tibi Venerabili Guicperto Epiſcopo aquam de alveo fluvii Mellini* [qui Vellinus] *ubi molinum debeas ædificare*. De eodem Guicperto Reatino adhuc Epiſcopo eo ipſo Aprili Menſe Anni 778, quo vir Cl. Petrum illi ſuffectum exiſtimat, mentionem invenio in alio ejuſdem Hildeprandi Ducis Spoletani diplomate, quo illud ipſum, de quo ſupra, Sancti Archangeli Monaſterium *Guicperto Epiſcopo Reatino* permittit, ut omnimodam in eo poteſtatem, quoad viveret, exerceret: Ea tamen poſita conditione, ut poſt ejus obitum Farfenſium iuriſdictioni ſubeſſet. Datum enim eſt *Spoleti Menſe Aprili anno Hildeprandi Ducatus V per indictionem I regnante D. Karolo excellentiſſimo rege Francorum, atque Longobardorum anno ejus in* Italia *V*, ideſt anno 778. (1). Eandem præterea Cathedram ab eodem Guicperto ad

Guicpertus Reatinus Epiſcopus ab anno 778 ad annum 780.

lus Italiæ regnum inivit aut Majo elabente, aut Junio ineunte. Hildeprandus autem electus fuerat a Spoletanis Dux aliquot menſibus ante Ticinum occupatum, & Deſiderium regno ſpollatum. Itaque mirum eſſe non debet, ſi menſe Martio anni 778. Hildeprandus quintum Ducatus annum enumeraret: Carolus vero Regni Italici ſolum quartum. Conſule Muratorium *in Annal. Italic. ad annum* 774., *& in diſſert.* 1. *Antiq. Ital.*

(1) Gallet *lib. Laud. pag.* 38. Mabill. *tom. II. Annal. Lib. XXIV. num. LXXVIII*. Sed hic etiam hærere videtur aqua. Quæ enim adhibetur in hoc diplomate epocha Italici regni Caroli, videtur deſtruere, quæ mox ſtabilita a nobis ſunt. Nam ex dictis conſequens eſſet, ut Aprili Menſe anni 778 Carolus Italici regni annum ageret quartum, non quintum. Ita plane. Aut igitur traductum fuit male diploma, poſituſque annus V. pro IV., aut ad eam epocham recurrendum, quam raro quidem, ſed aliquando adhibitam probat cum Pagio Muratorius in Annalibus Ital. ad annum 774, ubi ex eo animadvertit, Carolum in aliquibus diplomatibus initium italici regni duxiſſe ab aliquo ante deditum ſibi Ticinum tempore, probabiliſſime a Verona in ſuam poteſtatem, Adalchiſio fugato, redacta.

adhuc impletam lego anno 780 Menſe Julio in alio monumento per eumdem Gallettum producto (1). In eo enim *regnante Domno Noſtro Karolo excellentiſſimo Rege Francorum, atque Longobardorum anno regni ejus in Italia Deo propitio VII., Sed & temporibus Heldeprandi glorioſiſſimi Ducis Ducatus Spoletani anno Ducatus ejus in Dei nomine VII. Menſe Julio per indictionem* III., anno ſcilicet 780 *Guicpertus Reatinus Epiſcopus* Regis, & Ducis accedente conſenſu concedit Monaſterio Farfenſi, & ejus Abbati Probato illud ipſum Monaſterium Sancti Angeli, de quo ſupra *poſitum inter duo Flumina ad pontem fractum ante Civitatem Reatinam una cum omnibus ejus bonis*. Itaque cum Reatinam Eccleſiam *Guicpertus* rexerit ab anno 778 Martio Menſe ad annum 780 Menſe Julio, non potuit eidem præfici Petrus eodem anno 778 Menſe Aprili. Præcipue cum eo ipſo menſe ejuſdem anni viventem legamus, ſedentemque in ſua ſede Guicpertum.

Petrum fuiſſe Epiſcopum Sabinenſem, quomodo probetur.

XVII. Eumdem vero *Petrum* fuiſſe Epiſcopum Sabibinenſem, ſic ut poſſum, probandum aggredior. Quandoquidem *Petrus* aquam in *Caſale Mutella* auſus non eſt commutare, niſi Sacerdotum ſuorum accedente conſenſu, infero, *Petrum* ejus fuiſſe Diœceſis Epiſcopum, in qua & ea aqua, & ea terra, & illud Caſale, quæ juris erant Eccleſiæ ſuæ, continebantur. Porro ea fuiſſe in Sabinenſi Diœceſi, ex alio monumento apud Gallettum facile colligo, ex iis ſcilicet publicis literis, in quibus anno 1055. Albertus quidam Gebbonis Filius Berardo Abbati Farfenſi inter cetera eam quoque portionem donat, quæ ad ipſum in territorio Pharæ ſpectabat. Eam enim ita deſcribit (2). *Inter affines a primo latere fluvius Currenſis, a ſecundo*

(1) Apud Gallet. ibidem. Apud Mabillonium ibidem.
(2) *Lib. Laud. pag.* 165.

do latere Carpinianus , & venit per ipſam ſerram de Mutella & deſcendit in fluvium Riianam a tertio latere fluvius Riiana a quarto latere ipſa furca de monte & ſicuti vadit juxta terram S. Mariæ & revertitur in ſupraſcriptum fluvium CURRENSEM : Ibi igitur eſſe debuit Caſale *Mutella*, ubi fluvius *Currenſis*, ubi *Carpinianus*, ubi fluvius *Riiana*, ubi terra S. Mariæ, ubi territorium Pharæ . Hæc autem ita videntur fuiſſe in Sabinenſi Diœceſi, ut eſſent Monaſterio Sanctæ Mariæ ſive Farfenſi quamproxima (1).

XVIII. Hæc aliquibus Clariſſimis viris tanti viſa non ſunt, ut *Petrus* a ſerie Reatinorum Epiſcoporum excluderetur. Duo ſunt, ut audio, ea momenta, quibus Petrum accenſendum Reatinis Epiſcopis, non Sabinenſibus arbitrantur. Primo inferri ſibi vim maximam dicunt ab eo adjuncto, quod ego præoccupavi: quod ſcilicet eæ tabulæ Reate, non in Sabinenſi Diœceſi conſcriptæ fuiſſe dicantur. Si enim Petrus Sabinenſis fuiſſet Epiſcopus, quare in urbe Reatina, non in Sabinenſi Diœceſi faciendas eas curaſſet? Secundo animadvertunt, Sacerdotes, & Clericos, quorum conſenſu ea commutatio peragebatur, eas ipſas literas ſua manu *Reate* ſignaſſe, non in Sabinis. An eſt probabile, inquiunt, Sacerdotes, & Clericos Sabinenſes Reate extra Diœceſim convenire voluiſſe, ut intereſſent permutationi faciendæ, eamque manu ſua firmarent, nulla urgente neceſſitate, qua id Reate potius fieret, quam in Sabinis? Ab eo impedimento, quod nos contra oppoſuimus ex Guicperto ab anno 778. Menſe Martio ad annum 780 Epiſcopo Reatino, ſe facile expediunt, duobus ſub eodem Guicperti nomine Epiſcopis geminatis, qui brevi illo duorum annorum Spatio Reatinæ Eccleſiæ ita præfuerint, ut *Petrus*

(1) Conſule chartam topographicam a Galletto laudato libro præmiſſam.

inter eos fuerit medius. Itaque ſic ſentire coguntur viri clariſſimi, ut Martio menſe anni 778 Reatinam ſedem *Guicpertus* impleret: Menſe Aprilis ejuſdem anni Guicpertum *Petrus* exceperit: anno vero 780. Julio Menſe Petrum vel defunctum, vel abdicantem *Guicpertus* ſecutus ſit II. ejuſdem nominis.

Guicpertus Reatinus Epiſcopus unus non duplex fuit ab anno 778 ad annum 780. Quare Petro locus eſſe non potuit.

XIX. Ego vero ab iis libenter abſtineo, quibus horum opinio redditur improbabilis. Arbitror me ſatis eſſe facturum, ſi evidenter oſtendam, unum, eumdemque ſemper, non geminum fuiſſe Guicpertum Reatinæ Eccleſiæ Præfectum tam Martio Menſe 778., quam Menſe Julio anni 780. Quid enim tunc? An illud adjunctum de ea commutatione Reate, non autem in ſua Diœceſi ab Epiſcopo Sabinenſi cum publici ſcribæ tum Sacerdotum ſuorum auctoritate firmata tanti erit, tamque abſurdum, & præcavendum videbitur, ut ad monſtrum hoc avertendum duos cogamur componere in eadem ſede eodem tempore Epiſcopos? Atqui id ipſum eſt, quod mihi ſic clarum videtur & evidens ex iis monumentis, quæ adducta mox ſunt, ut nihil magis. Itaque Lectoribus conſiderandum propono, tria nobis de Guicperto Epiſcopo Reatino ex iis monumentis fieri manifeſta. Primum, Menſe Martio 778 ab Hildeprando Duce aquam de Mellini, ſive Velini flumine Guicperto Epiſcopo fuiſſe conceſſam, ut molam pro Monaſterio Sancti Archangeli Michaelis prope urbem ædificaret. Ex quo intelligimus, Monaſterium illud jam tum nomine Regis, aut Spoletani Ducis, quibus, ut ſupra obſervavimus, ſuberat, fuiſſe a Guicperto Epiſcopo procuratum: Secundum, Aprili Menſe ejuſdem anni Monaſterium illud ab eodem Hildeprando Duce traditum fuiſſe ipſi Guicperto ea conditione, ut eo defuncto, Monaſterium poſſidendum Farfenſibus traderetur. Tertium, anno 780. Menſe Julio, biennio ſolum præterito, non ex-

pe-

peſtata obitus die, Carolo Rege, & Hildeprando Duce aſſentientibus, Monaſterium ipſum a Guicperto Epiſcopo Farfenſibus fuiſſe permiſſum, ipſoſque in ejuſdem poſſeſſionem immiſſos. Poſita hac facti ſerie ex monumentis deducta certiſſimis, judicent Lectores, Guicpertus ne ille Reatinus Epiſcopus, qui Monaſterium Sancti Archangeli Michaelis prope mœnia civitatis Farfenſibus Monachis tradidit anno 780., alius ab eo dicendus ſit, qui ipſum prius Regis nomine procurabat, deinde ea conditione a Duce Hildeprando poſſidendum acceperat anno 778., ut poſt ipſum juris fieret Farfenſium Monachorum? Et vero aliter omnino ſenſere & Gallettus, & Mabillonius, qui unum, non geminum agnovere Guicpertum (1). Neque vero extra fines probabilitatis cenſeri debet, Sabinenſem Epiſcopum una cum Sacerdotibus, & Clericis ſuis conveniſſe Reate, ut in ea urbe commutationem illam compleret, eamque ſua, & illorum manu firmaret. Etenim de ſimilibus commutationibus ab Epiſcopis in aliena Diœceſi peractis, & ſuorum Sacerdotum conſenſu, manuque eodem omnino modo firmatis monumenta non deſunt. Et ne per nimis longinqua vagemur, præſto nobis eſt illud, quod Gallettus ipſe ſuppeditat *de Epiſcopo Reatino Teutone*, qui, cum neſcio quam commutationem feciſſet cum Fulcoaldo Abbate Farfenſi *de quodam Caſali Juviano*

D 2 anno

(1) Gallettus lib. laud. pag. 39. unum fatetur Guicpertum, qui Monaſterium prius accepit ab Hildeprando, biennio autem poſt ſe eius poſſeſſione ſpoliavit Farfenſibus illud tradens -- Ibi -- *Nel meſe ſuſſeguente di Aprile dell' anno ſteſſo* (778) *il medeſimo Hildeprando Duca donò intieramente il ſud. M. di S. Angelo al Veſcovo Guicperto con tale condizione, che dopo la di lui Morte paſſaſſe nel dominio del M. di Farfa, la qual coſa egli prevenne liberalmente inanzi di morire, come ſopra ſi è veduto*. Conſule Mabillonium *Lib.* XXIV. *tom.* II. *Annal. num.* LXXXIII.

anno 755. poſt præſtitum a Sacerdotibus ſuis aſſenſum, tabulas, quas ea de re confectas legimus ad faciendam publicam fidem, non Reate, non in Reatina Diœceſi, *Sed ad Sanctum Cæſarium in Sabinenſi Territorio* dedit, & ſua, & Sacerdotum Suorum manu ibidem ſignavit. (1)

Alefridus, ſive *Godefridus* Ughellio non notus ſæculo octavo Reatinus Epiſcopus.

XX. *Alefridus* igitur, ſive *Godefridus*, non *Petrus* Guicpertum excipere debuit. Quod quando contigerit, incompertum: Certè poſt annum 780, ut oſtendimus. De hoc Epiſcopo *Alefrido* in quadam prædiorum commutatione fit mentio, in qua *regnantibus* KAROLO, & PIPINO *Filio ejus viris excellentiſſimis Regibus Francorum, & Longobardorum ac Patriciis Romanorum anno Regni eorum in Italia Deo propitio XXI. & XIV. Menſe Auguſti per Indictionem II*, ſcilicet 794. *Mauroaldus Abbas Monaſterii Sanctæ Mariæ Farfenſis, & Uſualdus Abbas Monaſterii Sancti Salvatoris* conſentientibus Monachis convenerunt (2). Inter alia enim, quæ ex pacto ſtatuta tunc ſunt, in id Sancti Salvatoris Monachos legimus conſenſiſſe. *Dedimus* (Monaſterio Farfenſi) *quantum in ipſo loco concambiare debemus cum Domino* ALEFRIDO EPISCOPO. *Et ſi ipſum cambium minime facere poterimus. Aliud tantum de terra ad ſimile illius Vobis in congruo veſtro dare debeamus*. Vivebat

(1) Vide acta ejus commutationis apud Gallettum *lib. laudato pag. 19. -- Ibi -- In Nomine Domini . . . . . Conſtat me a Deo dilectum Teutonem Epiſcopum per conſilium, & voluntatem Sacerdotum meorum concambiavimus caſalem, qui nominatur Juvianus . . . . Unde duas cartulas de concambiatione uno tenore conſcriptas ſcripſi.* Ego Mellitus Diaconus *ex juſſione* Teutonis Epiſcop. *Actum ad Sanctum Ceſarium* in Sabinenſi territorio *Menſe & indictione ſupraſcripta feliciter* ✠ Ego Teuto Epiſcopus *propria manu mea ſubſcripſi* ✠ Ego Johannes Presbyter *manu mea ſubſcripſi* ✠ Ego Paulus Presbyter *mea manu ſubſcripſi* ✠ Ego Gaidepertus Presbyter *mea manu ſubſcripſi* ✠ Ego Sindolfus Clericus *mea manu ſubſcripſi*.

(2) Apud Gallettum *lib. laud. in append. num. XI.*

vebat igitur anno 794. *Alefridus*, & Reatinæ Eccleſiæ erat Epiſcopus. Etenim tam Monaſterium Sancti Salvatoris, a quo erat cum Alefrido commutatio facienda, quam ea prædia, quæ commutanda cum eodem ſperabant Monachi Sancti Salvatoris, erant in Reatina Diœceſi, ut ex infra dicendis. Miratus ſum, *Uſualdum* in iis tabulis commemoratum a Mabillonio Abbatem fieri ejus Monaſterii Sancti Salvatoris, quod erat in Monte Amiato in Cluſina Diœceſi in Ætruria (1). Miratus, inquam, ſum. Nam in publicis eiſdem tabulis pro ea commutatione confectis cujus Monaſterii Abbas Uſualdus fuerit, ita ſignificatur, ut nullum poſſit dubium occurrere. Uterque enim Abbas, & utrumque Monaſterium Sanctæ Mariæ Farfenſe, & Sancti Salvatoris ſic enunciatur. *Optime placuit inter Venerabiles Morualdum Abbatem de Monaſterio Sanctæ Mariæ ejuſque Congregationem quod ſitum eſt in Territorio Sabinenſi loco qui vocatur Acutianus nec non & Dominum Uſualdum itemque Abbatem Monaſterii Sancti Salvatoris vel cunctam Congregationem ipſius Monaſterii* QUOD SITUM EST IN TERRITORIO REATINO *loco qui vocatur Latenandus ſive Bojanus ut inter ſe concambium pro utilitate partium amborum facere deberent* (2). Duplex fuiſſe ſub eodem Sancti Salvatoris nomine Monaſterium, alterum in Monte Amiato in Cluſina, alterum Reatinum in Reatina Diœceſi, nihil certius ex ipſomet Mabillonio (3). Id autem dictum hic volui eo

con-

(1) *Tom. II lib. XXVI. num. VIII. in Annal. Bened.*
(2) Apud Gallettum ibidem.
(3) Gallettus Mabillonium excuſat, propterea quod Monaſterium Sancti Salvatoris Reatinum ipſi ad hunc annum 794 ignotum fuerit. Verum de eo cognitionem Mabillonium habuiſſe etiam pro tempore ſuperiori conſtat. Ipſum enim memorat ad annum 768. Conſule *Tom. II. Annal. lib.* XXIV. *num. XVIII.* Quid igitur? *Quandoque bonus dormitat Homerus.*

conſilio, ne Alefridus Cluſinus potius, quam Reatinus Epiſcopus haberetur.

XXI. Suffectus Alefrido proxime creditur *Hiſemundus*, qui Secundus hujus nominis dici debet. Etenim Eccleſiam hanc ab eo adminiſtratam anno 811, ex monumentis conſtat per Gallettum productis, in quibus *temporibus Domni* KAROLI *Imperatoris anno Imperii ejus in Dei nomine X. in menſe Januarii per Indictionem IV.*, anno videlicet 811, excitata quæſtione de quodam prædio Monaſterii Farfenſis, quod *quidam Clariſſimus pro Vinichiſio Duce malo ordine contra rationem, & ipſa ſignata capillaverat in Domo perote*, HISEMUNDUS REATINUS EPISCOPUS pro Monaſterio judicium tulit, ipſo Vinichiſio Duce præſente, agente pro Monaſterio Scaprolfo, pro Duce vero Leone (1). Eumdem Hiſemundum anno 814. adhuc in vivis fuiſſe diſcimus ex Farfenſi monumento apud Mabillonium (2): ex quodam nempe judicio, quod habuit in Spoletano palatio *Adalardus Abbas miſſus Domni Imperatoris Karoli una cum Sigualdo, Gradigiſo, &* HISEMUNDO *Epiſcopis* de quadam donatione, quam Leo civis Reatinus Farfenſibus Monachis quondam fecerat, Eoque mortuo ejus hæredes reluctabantur implere. Lata fuit pro Monaſterio Sententia anno quadrageſimo Caroli in Italia regnantis, & Bernardi Nepotis ejus quinto, Indictione VII. menſe Fabruarii: proindeque, ut Mabillonius advertit, paulo poſt obitum Caroli, de quo *Adalardus* nuncium nondum acceperat (3). De eodem *Hiſemundo* aliud protulit monumentum ex eodem tabulario Farfenſi Gallettus *de quodam priſtino Subtus portam Interocri-*

Hiſemundus II. Reatinus Epiſcopus Ughellio non notus ſæculo nono.

(1) *Lib. laud. pag.* 108.
(2) *Tom. II. Annal. lib.* XXVIII. *num.* XVIII.
(3) Obiit Carolus magnus V. Kal. Februarii anni 814. ex auct. coævis, & ex ejus Epitaphio in Aquiſgranenſi Baſilica apud Mabillonium *Tom.* II. *lib.* XXVIII. *num.* XIV. *Annal.*

rocrinam a Vinichiſio Duce per Marualdum Farfenſibus Monachis adjudicato, & tradito *Hiſemundo Epiſcopo*, *& Benedicto Abbate* præſentibus. Nulla eſt temporis nota, ex qua diſtinguere liceat, quo id anno contigerit. Quandoquidem vero huic judicio Abbas Farfenſis adfuit Benedictus, qui eo munere functus eſt ab anno 802. ad annum 816. ex Galletto, & Mabillonio, hæc eadem Hiſemundo ætas determinatur. Poſt Hiſemundum ſpatium patet Epiſcopis vacuum ad annum uſque 853. Sed mirandum non eſt, cum ex Leone IV. Summo Pontifice intelligamus, Reatinam Eccleſiam ante eum ipſum annum 853., quo *Colus*, ſivē *Colonus* locatus fuit in ea Cathedra, *Paſtoris Officio per longa jam tempora fuiſſe deſtitutam* (1). Quod infortunii genus commune cum fuerit ceteris urbibus in Sabinis, in Latio, in Campania, viciniſque Provinciis, communi cauſſæ tribuendum videtur, frequentiſſimis ſcilicet incurſionibus Saracenorum, qui haſce provincias hoc ſæculo ita vaſtarunt, ut, percuſſis gregibus, Paſtores diſpergerentur (2). Niſi tanta calamitas fortaſſe fuerit ſerior.

Unde infrequentes Epiſcopi Reatini ſæculo nono.

XXII.

(1) Leo IV. ad Lothar. & Lud. Imper. Conſule Ughel. ad *Colum* num. in ſua ſerie X.

(2) De Campania, & Sabinenſi Provincia, viciniſque urbibus a Saracenis miſerrime, & frequenter devaſtatis habemus teſtimonium egregium in Epiſtola XXX. Joannis VIII. ſummi Pontificis ad Carolum Calvum Imperatorem, in qua perpetrata a Saracenis facinora enumerans opem ejus efflagitat - *Quia*, inquit, *tota Campania ab ipſis Deo odibilibus Saracenis funditus devaſtata jam fluvium, qui a Tiburtina urbe Romam decurrit, furtim tranſeunt, & tam Sabinos, quam ſibi adjacientia loca prædantur; Sanctorum quoque Baſilicas, & Altaria deſtruxerunt: Sacerdotes, & Sanctimoniales alios quidem captivos duxerunt, alios autem variis mortibus necaverunt, & omnem Chriſti Sanguine redemptum populum in circuitu deleverunt*. Conſule etiam Epiſt. LIV. *ad eumdem Carolum Concil. Lab. tom.* IX. Conſule Mabillon. *tom.* III. *Annal. lib.* XXXIX. *num.* XXXVIII., ubi Farfenſe Cænobium in ſolitudinem redactum narrat, *uſque dum ſuiva perſecutione barbarorum, quæ per annos octo, & quinquaginta ſæviſſe dicitur, inſtauratum eſt*.

Teudardus, qui & *Teuderadus* Reatinus Epiſcopus ſæculo nono Ughellio non notus.

XXII. *Colum*, ſive potius *Colonum* (ſic enim legitur in epiſt. Leonis IV. ad Lotharium, & Ludovicum Imperatores, quemadmodum etiam ad Comitiſſam Ritam apud Gratianum) ſecutus eſt *Teuderadus*, qui & *Teudardus*, de quo nulla apud Ughellium mentio. Antiſtitem hunc huic Eccleſiæ præfuiſſe anno 877., quo Abbas erat in Farfenſi Monaſterio Joannes ex Farfenſi Chronico diſcimus. Etenim KAROLI *divina ordinante providentia Imperatoris Auguſti anno Imperii ejus in Hitalia II. in quarta die intrante Menſe Octobris per indictionem* XI., anno ſcilicet 877. TEUDERADUS REATINUS EPISCOPUS *piſtrinum in loco Parraria* in quoddam prædium cum Farfenſibus Monachis commutavit (1). Eodem anno Menſe Julio cum ageretur de quadam prædiorum commutatione facienda inter Monaſterium Farfenſe, & quoſdam Æquiculanos (2) fratres, Teuderadi Epiſcopi juſſu miſſi ſunt idonei quidam viri, qui, re prius bene animadverſa, de commutationis æquitate referrent (3). In iiſdem Farfenſibus monumentis alio in loco idem *Teudardus* his verbis commemoratur. TEUDARDUS *quoque* EPISCOPUS REATINUS *concambiavit in hoc Monaſterio terram in Pompigiano* (4). Sed quo anno id contigerit, reticetur.

XXIII. Ad hæc eadem tempora, ſcilicet Imperii *Domni Karoli in Dei nomine III. Menſe Octobris per Indictionem XI. Joannem* quemdam Reatinum fuiſſe Epiſ-

(1) Gallet. *lib. Laud. pag.* 68. - Carolus Calvus coronatus eſt Imperator a Joanne VIII. anno 875. menſe Decembris, quo indictio erat IX.; Initium enim habuerat ſuperiori menſe Septembri, ut patet ex diplomate pro Farfenſibus dato die ſequenti in Templo Sancti Petri apud Muratorium in annal. *ad eum annum* 875: Proinde indictio XI. Menſe Octobris annum ſignat 877, non 878.

(2) Ideſt ejus regionis, quam modo dicimus *il Ciccolano* in Aprutio, cujus Populi antiquitus dicebantur *æquicclæ*.

(3) Gallettus *lib. laud. pag.* 112.

(4) Idem *ibidem pag.* 68.

Epiſcopum conjicit Muratorius ex quadam bonorum acquiſitione, atque commutatione, quæ in Farfenſi Chronico facta fuiſſe narratur a Joanne Abbate Farfenſi cum JOANNE, qui ibi dicitur VIR VENERABILIS EPISCOPUS ECCLESIÆ ARETINÆ (1). Pro *Aretina* Eccleſia ſuſpicatur ſummus vir *Reatinam* fuiſſe ſcribendam. Etenim animadvertit, Farfenſem Abbatem, ut in eo Chronico legitur, acquiſiviſſe a *Joanne Epiſcopo* ea, quæ fuerant Traſonis genitoris ejuſdem Joannis Epiſcopi in *agro Reatino*. Sed omne videtur excludere dubium *Teuderadus* Epiſcopus, qui eo ipſo anno Octobri Menſe, ut ſupra notavimus, Reatinam ſedem implebat. Etſi enim hujuſmodi acquiſitio, & commutatio facta fuiſſe dicatur *a Joanne Epiſcopo* anno Imperii Caroli III.; indictio tamen XI annum ejuſdem Imperii II, non III. connotat, quo ex dictis Octobri Menſe indictio debebat eſſe XII. Joannes igitur ille facile fuit patria Reatinus, ſede vero Aretinus Epiſcopus. Et quidem Aretinam tunc ſedem implebat *Epiſcopus Joannes* nomine, quem Anſperto Archiepiſcopo Mediolanenſi Carolum Calvum anno 876. Ticini coronanti in regem Italiæ adfuiſſe narrat Muratorius: profectumque cum ipſo Carolo in Galliam eumdem in Conventu Pontigonenſi Summi Pontificis nomine Imperatorem declaraviſſe, ſceptroque aureo donaviſſe una cum alio Joanne Epiſcopo Tuſcanenſi (2).

Joannes non fuit Epiſcopus *Reatinus* ſæculo nono anno 877., ſed *Aretinus*.

XXIV. Numero in Ughelliana ſerie XI. *Richardus* occurrit Reatinus Epiſcopus: ejuſque nomen proditum dicitur ex quadam Theodoſii Firmani Epiſcopi donatione pro Monaſterio Sanctæ Crucis anno 887 Carolo Imperatore præſente, cui inter alios Epiſco-

Richardus Epiſcopus Reatinus admodum dubius ſæculo nono.

E pos

(1) *Parte II. Tom. II. Rer. Ital. Script. Nota I. in Chr. Farf.*
(2) Conſule eundem Murat. in Annal. Ital. ad annum 876. Conſule etiam Ughel. in Aret. ad hunc *num. in ſua ſerie* XXXVI.

pos, & Presbyteros Richardus quoque ſubſcripſit (1). Monumentum illud nos alibi plane confictum oſtendimus, nullamque illi fidem habendam (2). Noſtræque ſententiæ nuper acceſſit Vir Cl. & eruditiſſimus Octavius Turchius Canonicus Apiranus, & Patritius Camers in opere abſolutiſſimo de Camerinenſis Eccleſiæ Pontificibus Romæ edito anno præterito Typis de Rubeis (3). Itaque eſſet optandum, ut Richardus ſolidius fundamentum, cui inniteretur, haberet.

Colus II. Reatinus Epiſcopus ſæculo decimo Ughellio non notus.

XXV. Richardum ex Ughellio *Thebroldus* ſequitur ad annum 945. Miror tamen, quod, cum Ughellius, quique ipſum illuſtrandum ſuſceperunt, ſeriem horum Antiſtitum ordinaverint ex Naudæo (4), miror, inquam, quod in eo non obſervaverint *Colum* hujus nominis II. ad annum 922, de quo idem Naudæus inſinuat ſequens monumentum in Reatino tabulario aſſervatum - *Inſtrumentum vetuſtiſſimis caracteribus exaratum, nec ſermone ſatis latino locationis in emphiteuſim factæ ab* EPISCOPO REATINO COLO *in Perſonam Joſephi, & Filiorum ejus bonorum Eccleſiæ Reatinæ exiſtentium in loco, qui dicitur Colline ſub anno Domini* 922. Suſpicatus fueram, mendum hic fortaſſe interceſſiſſe, ſcriptumque annum 922. pro anno 1122. Animadverteram enim eo etiam anno in Cathedra Reatina Epiſcopum ejuſdem nominis *Colum*. Sed cum monumentum ipſum inſpiciendum, & diligentiſſime examinandum curaverim, liberatus ſum omni dubio. Datum enim fuiſſe inven-

(1) Donatio legitur apud Ughel. *in Firmanis tom.* 2. *Ital. Sac. ad Epiſ. Theodoſ. num. in ſua ſerie* XV.

(2) *In Com. de Eccl. & Epiſc. Anconit. num.* XVII.

(3) *Lib.* I. *cap. V. num.* X.

(4) Conſule lib. cui titulus *Inſtauratio tabularii Reatini per Gabrielem Naudæum Pariſinum*. Eſt apud Burman. *Hiſt. Civit. Ital. tom.* IX. *part.* VII. & VIII. Hunc ſecutum ſe eſſe fatetur Ughellius in ordinanda ſerie Epiſcoporum Reatinorum.

inventum eſt *anno ngenteſimo vigeſimo ſecundo regnante Domno* BERENGARIUS REX IMPERATOR S. AUGUSTUS *anni Imperii VIII. Indictione X.* (1). Richardo igitur ante Thebroldum ſufficiendus eſt ſecundus hujus nominis *Colus*.

XXVI. Colum *Thebroldus*: Thebroldum *Anaſtaſius*: Anaſtaſium *Albericus* excepit, de quibus in tabulario Reatino certa ſunt monumenta, & quidem ad eos annos, quibus eos collocavit Ughellius, etſi non magni momenti. Prætereundum de Alberico non eſt, cum ipſum dici, qui omnium primus exemplo non admodum commendando anno 970 Sancti Elpidii Reliquias ex quodam Marſorum Templo deductas Theodorico Epiſcopo Metenſi, qui fretus auctoritate Ottonis primi, cujus erat conſanguineus, Italiam Sanctis corporibus ſpoliabat, conceſſit: ſicuti etiam Sancti Eutichii Martyris corpus, & partem Sancti Maronis æque Martyris, quæ *in territorio Urbis Amiterninæ colebantur in Monaſterio ſuæ ditioni Reate ſubjecto* (2): Albericum ſecuti ſunt *Heldebaldus*, & *Joannes*, de quo quoniam nullum Ughellius protulit, aut indicat documentum, ne cui de eo dubium aliquod ſuboriatur, certoque, qua ætate vixerit, conſtet, non inutile cenſeo eas hic innuere publicas literas, quas Gabriel Naudæus tabularii Reatini monumenta deſcribens de hoc Joanne ſic nobis inſinuat – *Inſtrumentum precariæ quarumdam poſſeſſionum in territorio Ploge, ubi eſt Eccleſia ædificata in honorem Sancti Joannis Baptiſtæ in loco, qui dicitur Prætorium factæ Joanni Stephano, & Benedicto Presbytero in vitam eorum a* JOANNE EPISCOPO *ſub anno* 982. (3). Quis

Qui Colum ſecuti ſint Epiſcopi Reatini ſeculo decimo. *Albericus* quid egerit anno 970

Joan-

(1) *In tabular. Eccl. Reat. Armar. IV. faſcicul. K. num.* I.

(2) Conſule Mabilon. *tom.* III. *Anal. lib.* XLVII. *num.* LIII. Ex Anonymo coævo, & præſente. Vide *ſpicil. tom. V. pag.* 139.

(3) *Sunt in Armar. IV. faſcic. K.*

Joannem proxime exceperit, ex defectu monumentorum ignotum eſt. Neque enim ullus occurrit ante *Jucundum* anno 1050. Ceterum Reatinam Eccleſiam ſuis Epiſcopis hoc temporis intervallo non deſtitutam fidem faciunt publicæ tabulæ, quibus anno 1033. Epiſcopo, & Canonicorum aſſentiente Collegio excolenda quædam prædia ad tempus certis conditionibus permittuntur, Epiſcopi nomine prætermiſſo (1), de quibus infra.

Theobaldus fuerit ne Reatinus Epiſcopus ſæculo undecimo, Leone IX. ſumo Pontifice.

XXVII. *Theobaldum*, neſcio quem, Reatinum Epiſcopum ad hæc circiter tempora memorat Vir Cl. *Joſeph Coppola* Aquilanus quondam, nunc Stabienſis Epiſcopus (2). Templum enim vetuſtiſſimum Sanctæ Mariæ in valle Ocrina die 26. Octobris Leone IX. Summo Pontifice, & Henrico Imperatore ex inſcriptione ibidem poſita dedicatum ab eo fuiſſe teſtatur. Quo anno, ignotum dicit: Cum annus in ea fracto lapide deſideretur. Id mihi non leve negotium faceſſerat. Etenim animadvertebam univerſum Leonis IX. Pontificatum a *Jucundo*, & *Gerardo* Reatinis Epiſcopis, quemadmodum infra videbimus, ita occupatum, ut Theobaldo locus nullus pro eo tempore remaneret. Cum vero eam inſcriptionem per virum eruditiſſimum, & in rebus antiquis egregie verſatum (3) legendam diligentiſſime, & ad me traducendam curaſſem, Theobaldum illum ejus quidem Eccleſiæ Curatorem, atque Rectorem, non vero Epiſcopum judicavi. Nullibi certe fuiſſe Epiſcopus dicitur. Templum quidem renovatum ab eo cognoſcimus a fundamentis.

Num

(1) *In Tabul. Eccl. Reat. Arm. IV. faſcic. K.*

(2) In lib. eruditiſſimo, cui titulus - *Dello ſcoprimento del Corpo e degli atti antichi di S. Euſanio - cap. V. in notis ad lect. IV. pag. 90.*

(3) *Joannem Proſperum Bulgarellium* Ordinis mei, Rectorem Reatini Collegii, qui poſt traditas magno Auditorum concurſu ſcientias Romæ Concionatoris munus exercuit non ſine plauſu, & Procuratorem Generalem egit egregie.

Num ideo Epiſcopus? Non diſſimulabo dubium aliquod ſubnaſci poſſe ex ultimis particulis, quibus *Sacrationem* ejuſdem Templi ab eo factam fuiſſe videtur nobis ſignificari [ut ſaltem licet interpretari]. Cum vero inſcriptio facta fuerit eo miſerrimo ſæculo, quo nulla habebatur ratio ſignificationi verborum, nihil impedit, quominus per eas particulas procuratam a Theobaldo intelligamus ejuſdem Templi dedicationem. Neque vero ullus eſt interpretandi aliter locus, cum certo certius ſit, univerſo Leonis IX. Pontificatu, eoque præſertim anno & menſe, quibus facta dicitur dedicatio, in Cathedra Reatina *Gerardum* ſediſſe, non Theobaldum. Etſi enim annus fracto lapide deſideretur, indictio tamen quarta, quæ in ea inſcriptione legitur non obſcure, Octobri Menſe Leone IX. Pontifice, annum connotat 1050. (1), quo certe, ut mox videbimus, Reatinam Eccleſiam *Gerardus* adminiſtrabat a Menſe Martio, vel Aprili. Ut verum fatear, non ſatis conſtare videtur ex eo lapide, facta ne fuerit dedicatio ejus Templi Leone IX. Summo Pontifice: quemadmodum conſtat, Templum ejuſdem tempore renovatum: fierique fortaſſe potuiſſe, ut Templi renovatio & dedicatio diverſis temporibus ſub diverſis Pontificibus abſolverentur. Ita plane. Quemadmodum vero idem Theobaldus eſt, qui Leone IX. Templum renovavit, & qui ejuſdem Templi *feciſſe* dicitur [ſi ita legendum ſit] *Sacrationem*, ſequitur, quod ſicuti Leone IX. Pontifice Theobaldus nec fuit, nec eſſe potuit Reatinus Epiſcopus, ita neque cum Templum dicitur dedicaviſſe. Sed præſtat, eam inſcriptionem legentium oculis, judicioque ſubjicere.

IN

(1) Indictionem Cæſaream, ſive imperatoriam intellige. Quod ſi velis intelligere Pontificiam, perinde erit. Annum enim indictio IV. denotabit 1051. quo certe Gerardus erat Epiſcopus Reatinus, ut obſervabimus.

IN NÕM NE DÑ. I DĪ SALVATORI NRĪ
IHV XPI AN O DÕ PROPITIO PONTIFICATVS
DOMNI LEONI SVMI PONTIFI CI ET VNIVERSA
LI PAPE IN SACRA TISSIMA SEDE BEATI PETRI APOSTO
LI NONO. REGNANTE IMPERATORE AENRICO HANC AVLĀ
A FVNDAMENTO PARIETES ET OMNIA QVIDQVID CER
NITIS RENOVATV̄ EST. ECO INMERITVS SAC II FIDELES
DĪ NOE THEVBALDVS CEPI CV̄ AVXILJ COPLEVI HINC TE
QVESO DÕ COMENDARE ME NTO: SACRA
TIONĒ VERO ISTIVS SCĒ ECCL E IN MENSE OC
TVBER VII. KALENDAS NO DICTIO QVARTA
ANNI AB INCARNATIONE X SECTE
SVSCIPE BOR S (1)

(1) Plura notanda occurrunt in hoc lapide. Primo non poſſe niſi Leonem IX. deſignari. Conſtat id certo, ex eo quod unus Leo IX. poſſit cum Henrico Imperatore componi. Itaque to *nono* non ad annum Pontificatus, cum Leo vix quintum abſolverit, ſed ad Leonem referri unice poteſt. 2°. Etſi annus incarnationis ex Lapidis fractura deſideretur, adeſſe tamen ultimi Romani numeri non obſcura veſtigia, quæ nobis X repræſentant. Hinc annum illum incarnationis fuiſſe fortaſſe, & probabiliter ſic ſcriptum MXXXXX. Quod facile fieri potuiſſe conſtat a ſimili de numero V. qui eodem ſæculo apud Cl. Abbatem Trombellium ſic ſcriptus reperitur IIIII. Conſule eruditos ejus lib. de arte cognoſcendæ ætatis codicum antiquorum *Cap. III. pag.* 6. Fuiſſe autem illum annum 1050 patet ex indictione quarta, quæ Octobri menſe eo anno currebat, cum eſſe probabiliſſime debuerit Imperatoria, ut alibi obſervavimus. 3°. particulam illam SECTE vel ita fortaſſe fuiſſe ſcriptam ex oſcitatione Sculptoris pro FECIT, vel ita legenti viſam ex nimia caracterum obſcuritate & curruptione. Scilicet animadverto pro SEPTEM ſumi non poſſe, cum nullus ſit numerus ſupra 1050., cujus, ſi ultima nota ſit *Septem*, poſſit cum indictione quarta componi. Itaque remanet, ut intelligatur pro *fecit*: præſertim cum hujuſmodi menda in inſcriptionibus illius ætatis in Templis campeſtribus collocatis non ſint infrequentia. Confirmatur etiam ex hoc, Indictionem quartam anno 1050. tribuendam, qui Leonis IX Summi Pontificis ſecundus fuit.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Ingens modo ſolvendus occurrit nodus, quem inſolutum reliquerunt cum Ughellio Lucentius, & Coletus. Ughellius duos in eadem Romana Synodo ſub Nicolao II anno 1059 affirmat fuiſſe Epiſcopos Reatinos *Attonem*, & *Jucundum*. De Attone tamen fatetur ſe eſſe ſubdubium, propterea quod, etſi ejus nomen legatur in decreto Nicolai, in codice tamen ejus Synodi Vaticano Jucundum non Attonem invenerit (1). Contra Coletus nullibi in eo codice Jucundum legit: bene vero *Attonem Reatenſem*, & *Gerardum Reatinum*: ex quibus qui Eccleſiæ Reatinæ tribuendus, eruditorum judicio committit (2). Tres igitur ſunt, [imo quatuor, ſi Theobaldum, de quo ſuperius, adjungas] qui huic Sunamitidi nupſiſſe eodem anno, immo ex eodem Concilio feruntur: *Gerardus*, *Atto*, *Jucundus*. Nodus triplex, qui facile tamen rumpitur, ſi ad examen res revocetur. Et primo quidem quo fundamento uſus Ughellius fuerit, videamus. Teſtem vaticanum codicem vocat; ſed vaticanum eum codicem ſuis ipſe oculis intueri non debuit Ughellius. Cum enim eum habeamus beneficio Petri Poſſini S. J. typis impreſſum (3), nullibi *Jucundi*, bene vero *Attonis Reatenſis*, & *Gerardi Reatini* nomen occurrit. Nulla igitur a Jucundi nomine in ea Synodo confuſionis, & erroris occaſio. Quid vero dicemus de Attone Reatenſi, & Gerardo Reatino? Ne duos in eadem Synodo, & Sede Reatinos Epiſcopos componamus, uter eorum recenſebitur in hac ſerie? Me judice collocandus in ſerie *Gerardus*. Etenim animadverto in Leonis IX diplomate, quo anno 1050 Gerardum Tullenſem Epiſcopum inter Sanctos haberi juſſit, inter alia Epiſcoporum nomina non legi *Atto-*

Sæculo undecimo anno 1050. & ſequentibus qui fuerint Epiſcopi Reatini. Num *Atto*, ſive *Actius*, num *Jucundus*, Num *Gerardus*.

(1) In *Reat. num. in ſua ſerie XVI ad Attonem*.
(2) *Ibidem Nota II*.
(3) Conſule Collect. Labbean. *Tom.* XII. ubi de hoc Concilio juxta codicem Vaticanum.

tonem bene vero *Gerardum Reatinenſem* (1). Cum igitur certum ſit, a tempore Superiori ab anno nempe 1050 Reatinæ Eccleſiæ præfuiſſe Gerardum, nullus videtur dubio eſſe locus, Atto ne, an Gerardus Reatinus pariter eſſet Epiſcopus in Romano Nicolai II. Concilio, in quo cum Attone Reatenſi Gerardi etiam Reatini nomen occurrit. *Atto* vero ille *Reatenſis*, fortaſſe quis percunctabitur, quam Cathedram occupabat? Cujus urbis erat Epiſcopus? Ego eum fuiſſe cenſeo Epiſcopum *Teatinum* non *Reatinum*, hoc eſt urbis Teates, quæ Marrucinorum eſt caput, & princeps ad fluvium Aternum olim Epiſcopalis, modo vero Clementis VII P. M. beneficio Metropolis. Suſpicor, Attonem, cum in Concilio dixiſſet ſe, ſcripſiſſetque *Teatenſem* pro *Teatino* voce iis temporibus non infrequenti, Ughellio teſte, traducentium errore in *Reatenſem* fuiſſe converſum, quo nil probabilius. Neque conjectura ducor tenui. Præterquam quod enim vocabula inter ſe non admodum diſtant, animadverto iis ipſis temporibus *Actium*, ſive *Attonem* [unum enim, & idem ſunt] ex nobiliſſimis Marſorum Comitibus Eccleſiæ Teatinæ præfuiſſe ex monumentis apud Ughellium minime dubiis (2). Accedit, Attonem ſubſcripſiſſe inter duos ejuſdem provinciæ Epiſcopos, *Pandulphum* nempe *Marſienſem*, ſive *Marſorum*, & *Dominicum Vabenſem*, ſive *Valvenſem*.

Gerardus ab anno 1050, Epiſcopus Reatinus ab Ughellio prætermiſſus.

Atto, ſiv *Actius* anno 1055. & 1050 Epiſcopus *Teatinus*, non *Reatinus*.

XXIX. Collocato vero firmatoque Gerardo, non ideo excludendus ab hac ſerie cum Attone *Jucundus*. Ad annum eum ſtatuit Ughellius 1059. ex monumento, quod in tabulario Reatino aſſerit aſſervari. Monumentum tamen hoc diligentiſſime perquiſitum omnem curam, diligentiam omnem effugit. Non ideo ta-

Jucundus anno 1050. Idibus Februarii, aliiſque probabiliſſime ſuperioribus Epiſcopus Reatinus, ab Ughellio prætermiſſus. Quo anno obierit.

(1) Eſt apud Mabillon *in Append. Tom. IV. Annal. pag.* 739. ex codice S. Manſueti.

(2) *Tom. VI. Ital. Sac. in Teatin. num. in ſua ſerie* XIII. *ad Actium*.

tamen ceſſit irritus omnis labor. Repertum enim eſt aliud de Jucundo Epiſcopo monumentum, quod ſic Naudæus inſinuat - *Inſtrumentum cujuſdam donationis factæ Epiſcopo a germanis fratribus ſub anno* 1050., *cujus verba præ vetuſtate legi bene non poſſunt*. Cum ego per eruditum eumdem virum, de quo ſupra, legendum attente, obſervandumque in ipſo Reatino Tabulario curaſſem hoc monumentum, animadverſum eſt, non datum dici anno 1059., quo certum eſt, Reatinum Epiſcopum fuiſſe Gerardum, ut obſervavimus, ſed ſic: *Chriſti Milleſimo quinquaginta Indictione III. Domini Leonis IX. anno II. Temporibus D. Erici Imper. Aug.* JUCUNDO SANCTÆ SEDIS REATINÆ ECCLESIÆ VENERABILI EPISCOPO (1); nullumque proinde dubium ſubeſſe poſſe, quin anno 1050 is eſſet Reatinus Epiſcopus. Quod ſi verum eſt, ſequitur plane poſt paucos ab ea donatione dies obire debuiſſe Jucundum. Cum enim ea donatio facta fuerit anno II. Leonis IX.; proindeque eodem anno 1050 Idibus ſaltem Februarii Jucundus adhuc eſſet in vivis (2), ante Majum Menſem ejuſdem anni jam vitam exuerat. Eo enim menſe ejus anni jam Gerardum habemus Reatinum Pontificem in Romano Concilio, quod celebratum tunc eſt a Leone in Baſilica Lateranenſi poſt Paſcha (3). Inferre licet ex his, a ſuperiori jam tempore, neque fortaſſe modico, huic Eccleſiæ præeſſe probabiliter debuiſſe Jucundum, eumque fortaſſe fuiſſe, de quo Naudæus *Inſtrumentum* inſinuat *precariæ quarum-*

 dam

(1) *Armar. IV. faſcic. L.*

(2) Leo IX inauguratus eſt Summus Pontifex pridie Idus Februarii anni 1049. ex communi omnium ſcriptorum conſenſu. Hinc vel ea ipſa die, vel Idibus Februarii anni ſequentis 1050. habere potuit initium *II.* annus ejuſdem Pontificatus.

(3) Ex Herm. Contract. *in Chron.* Conſule Pagium ad eum annum.

dam poſſeſſionum factæ de conſenſu Epiſcopi, & Canonicorum Homulo, & Reatinæ ejus uxori ſub anno 1033. (1), in quo nomen Epiſcopi deſideratur.

Quo anno *Leo* IX Romæ Synodum habuerit de referendo inter Sanctos Gerardo Tullenſi Epiſcopo. Anno ne 1049, an 1050. De quo inter eruditos eſt quæſtio, præcipue Mabillonium inter & Pagium.

XXX. Romanum Concilium, in quo Patres Leo conſuluit de Gerardo Tullenſi Epiſcopo inter ſuperos referendo ad annum 1049. retrhait Mabillonius (2): ad annum 1050. poſt Paſcha protrahit Pagius (3). Quam vero anteferenda ſit Pagii ſententia argumento videtur certo *Gerardus* hic noſter, qui eidem inter alios interfuit. Cum enim certum ſit ex dictis, anno 1049 Gerardum Reatinum Epiſcopum eſſe minime potuiſſe: Eamque ſolum ſedem implere potuiſſe poſt Idus Februarii anni 1050, ſequitur neceſſario, ante eum annum, & Menſem a Leone Romanam eam ſynodum minime celebratam:

Epiſcopi Reatini Gerardo ſuffecti ſæculo undecimo qui fuerint.

XXXI. Gerardum creditur proxime excepiſſe *Raynerius* hujus nominis primus: Raynerium *Benincaſa*, de quibus plurima, eaque indubia in tabulario Reatino ſunt Monumenta præter ea, quæ habes apud Ughellium. Epiſcopum Benincaſa fuiſſe patria Reatinum publicæ nos docent tabulæ in Tabulario Reatino aſſervatæ, in quibus neſcio quis ejuſdem nominis, & familiæ poſt filios ſuos, quique ex filiis naſcituri eſſent generis maſculini, hæredem inſtituit Reatinam Eccleſiam anno 1100. Per id temporis adminiſtrandam ceperunt Amiternenſem Eccleſiam Epiſcopi Reatini. De qua re cum nihil Ughellius, Lucentius nihil, nihil Coletus, non abs re cenſeo me facturum, ſi aliquid proferam. Quo anno, quove Epiſcopo id factum primo fuerit, mihi inconpertum eſt. Cum vero poſtremus Amiternenſis Epiſcopus, de quo fiat in monumentis Eccleſiaſticis mentio ſit *Ludovicus*

Amiternà Diœceſis quando Reatinis Epiſcopis commendata.

(1) Arm. IV. faſcic. K Tabul. Reat.

(2) *Seculo quinto Annal. Tom. III. ad annum* 1049.

(3) Conſule Franciſcum Pagium *Tom.* 2. *Brev. ſecul.* XI. *in vita Leonis* IX. *pag. mihi* 338. *num.* XXII.

vicus, qui anno 1059. adfuiſſe legitur Concilio Romano ſub Nicolao II & anno 1112: Eam Eccleſiam jam commendatam a ſuperiori tempore cognoſcamus Epiſcopo Benincaſa, ut mox conſtabit, conſequens eſt, ut aut *Gerardo*, aut *Raynerio* aut *Benincaſæ* initium novæ hujus præfecturæ tribuamus vel ad finem undecimi, vel ad principium duodecimi ſæculi. Procuratam fuiſſe eam Eccleſiam aut a Gerardo, aut a Raynerio, nulla quæ ſciam, ſuppetunt monumenta, nulla traditio. Rectam a Benincaſa lapis oſtendit in extima Templi facie in oppido Popleti Amiternæ Diæceſis, in quo ab Epiſcopo Benincaſa Templum ipſum legimus conſecratum in hunc modum.

Primus ex Reatinis Epiſcopis, qui invenitur præfuiſſe Amiternæ Diœceſi, eſt Benincaſa ſæculi duodecimi initio.

ANNO MANENTE MILLENO	. AC DVODECIMO CENTENO
QVINTA NANQVE INDICTIONE	. XPI AB INCARNATIONE
SECVNDO PASCALI PAPA	. EST DOMVS HEC DEDICATA
HVIVS PONTIFEX SACRATOR	. BONVS IN CASA VOCATVR
SET RELIQVIIS SANCTORVM	. DICIMVS NOMINA QVORVM
PETRI PAVLIQVE HIOANNIS	. LAVS SIT APOSTOLIS ALMIS
STEPHANI PAPE ET VRBANI	. SANCTIQVE SEBASTIANI
ANTIMI PATERNIANI	. COSME QVOQVE AC DAMIANI
NEREI DENIQVE AC PRIMI	. GRATILIANI ET SAVINI
ET SANCTORVM ALIORVM	. DEVS SCIT NOMINA QVORVM
V KL NOVEMBRIS	. FESTVM HOC CELOQVE TERRIS
ARCHIPRESBITER IOANNES	. Q ET VENTVR HE PHLANGE....
HIC ET IN FVTVRVM CVNCTI	. HORVM ET IVVAMINE FVLTI
LAVDEMVS DEVM DEORVM	. IN SECVLA SECVLORVM

ſuſpicari fortaſſe quis poterit, Templum illud conſecratum fuiſſe a Reatino Epiſcopo Benincaſa, non quod

eſſet Amiternæ ſimul, & Reatinæ Diœceſis Epiſcopus, ſed aſſentiente, & deprecante Epiſcopo Diœceſano. Quominus autem id ſuſpicemur, recitanda mox prohibent monumenta, ex quibus tam evidenter evincitur, exercitam in Amiterna Diœceſi a Reatinis Epiſcopis juriſdictionem, ut in dubium vocari non poſſit.

Qui Benincaſam ſecuti proxime ſunt Epiſcopi Reatini *Teuzo*, *Colus*, *Gentilis*, *Dodo*, iidem fuerunt etiam Epiſcopi Amiternenſes.

XXXII. Secuti ſunt Epiſcopum Benincaſa *Teuzo*, *Colus*, *Gentilis*, de quibus ſunt in tabulario Reatino publica monumenta a Naudæo deſcripta ab anno 1114. ad annum 1135. Gentilem excepit *Dodo* ex Ciſtercienſium familia, de quo Ughellius multa, & multo plura ex tabulario Reatino Naudæus. Quandoquidem nos acta non agimus, ea ſolum, quæ ad Amiternam Eccleſiam ab eo adminiſtratam pertinent, referemus, ut quæ ſupra diximus, confirmentur. Subiectam fuiſſe cum Dodoni, tum Superioribus Reatinis Epiſcopis eam Eccleſiam, Anaſtaſii IV. Papæ ampliſſimum diploma ſignificat ad eumdem Dodonem datum anno 1153. In eo enim oppidis recenſitis, Templiſque, quæ Reatinum Epiſcopum venerabantur, Amiternam etiam Diœceſim memorat eamque cum Reatina ita confundit nullo facto diſcrimine, ut una, non duplex videatur: quo ſatis declaratum tunc fuit, unum fuiſſe utriuſque Diœceſis Epiſcopum (1). In eamdem rem faciunt lapides duo de duobus templis a Dodone ipſo Reatino Epiſcopo

(1) Diploma eſt apud Ughel. in Reatinis ad hunc. Quæ *in* eo recenſentur Eccleſiæ Amiternæ Diœceſis ſequentes ſunt: *Plebem S. Mariæ in cornu*: *Plebem S. Joannis in Clarino*: *Plebem S. Sixti in Amiterno*: *Plebem S. Petri in Popteta*: *Plebem S. Victorini*: *Plebem S. Petri in Prætoro*: *Plebem S. Valentini in Collectorio*: *Plebem S. Marci & S. Donati in Feria*: *Plebem S. Juliani in Foce*: *Plebem S. Pauli in capite Amiterno*: *Plebem S. Coſmæ in Cagnano*: *Plebem S. Antimi in Caſſina*: *Plebem S. Thomæ in Villano*: *Plebem S. Petri in Cornu*..... *Et in eis Plebibus Oratoria quæ Monaſteria dicuntur*..... *Datum Laterani per m. Rolandi S. R. F. Preſb. & Cancel.* IX. *Kal. Februarii* (*Septembris* merito corrigit Antinorius, cum Anaſtaſius IV factus fuerit Papa VI. Idus Julii ejus anni 1153.) *Indict.* I. *Incarn. Dom.* 1153. *Pontif. D. Anaſt. PP. anno I.*

copo conſecratis in Diœceſi Amiterna. Horum primus affixus eſt muro majoris aræ Curialis Templi oppidi Sancti Victorini, in quo erat Sedes Amiternenſium Epiſcoporum. In eo ita legitur.

✠ IN NOMINE DOMINI AMEN. ANNO DOMINICE INCARNATIONIS
M.C.LXX.VIIII. K. AVG. EGO DODO DEI GRATIA RE
ATINUS EPISCOPVS VNA CVM ANSELMO FVLGINATENSI ET
BERARDO FVRCONINO PRESVLIBVS CONSECRAVI ECCLESIAM
S. VICTORINI M. IN MAIORI ALTARE RECONDIDI DE
LIGNO CRVCIS X. ET DE SEPVLCRO EIVS ET VIRG. M.
ET DE VESTIMENTIS EIVS ET DE RELIQVIIS S. ANDREE APOSTOLI
ET PROTOMAR. S. STEPHANI ET SEBASTIANI M. ET ELEV
TERII ET ANTIE MATRIS EIVS ET BEATE BARBA
RE ET S. STEPHANI PP ET BEATI A
VG. CONF. MARCELLINI ET PET ET CALISTI PP.
ET VICTORINI ET VICTORINI AD HOC OMNI
BVS IN EIVSDEM FESTIVITATE ET VSQVE
IN OCTAVA DEVOTE VENIENTIBVS
SIVE DE SVIS BONIS MITTENTIBVS AN. (ſic)
ANNVATIM TRIVM ANNORVM ET XL DIERVM REMIS
SIONEM CONCEDIMVS ET HOC TEMPORE DOMINI TODINI
FILII GVETVLI EXISTENTE DNO RA. ARCHI
PRESBITERO

Ne in æquivocis laboremus, monendos nos cenſuit doctiſſimus, & eruditiſſimus vir Antonius Antinorius Patritius Aquilanus, & Epiſcopus Materanenſis (1), in hac incriptione numericas notas non cono-

(1) In ſua ad hiſt. Aquilanam introductione *cap. II. num. IX.* ex quo huc derivavimus, quæ de Amiternenſi Diœceſi Reatinis olim

notare annum 1179. Kalendis Auguſti: bene vero 1170 nono Kalendas Auguſti; Id enim aperte cognoſcitur ex altera ſequenti inſcriptione de Templi dedicatione in oppido Prætorii ab eodem Dodone iiſdemque Epiſcopis facta eodem anno, & Menſe die Sequenti, VIII ſcilicet Kal. Auguſti. Cum enim oppidum Prætorii abſit ab oppido Sancti Victorini duobus ſolum paſſuum millibus, peracta Templi dedicatione in eo oppido VIIII. Kal. Auguſti, ſequenti die ad vicinum Prætorii oppidum ſe contulerunt alteram peracturi. Liquet id ipſum ex altero lapide, qui adhuc legitur in pavimento ejuſdem Templi, in quo eſt ejuſdem inſcriptionis initium reliquis prætermiſſis probabiliſſime, quod Sculptor animadverterit ex anguſtia lapidis univerſa verba contineri non poſſe: quod eſſe debuit in cauſſa, cur poſt pauca initialia verba, primo Sepoſito, alter lapis latior, & longior adhiberetur. Eſt autem hujuſmodi.

✠ ANNO DOMINI MCLXX NON KL AVG DODO
REAT. EPC. VNA CVM FVLGI

Alter lapis, de quo ſupra, proſtabat in Curiali eo Templo: Nunc vero Menſæ Altaris inſervit. In eo legere eſt hanc inſcriptionem.

✠ A.

olim Epiſcopis ſubdita ſcribimus: Aquilanam hanc hiſtoriam ab antiquis aliquot Aquilanis Scriptoribus carmine rudi patrioque ſermone collectam & notis illuſtratam a viro doctiſſimo, cum adhuc eſſet iuvenis, & a Muratorio meritis laudibus commendatam legere eſt apud eumdem Muratorium *Tom. VI. Antiquit. Ital. pag.* 488., & ſeq.

Digitized by Google

+ A.D. M.C.LXX. INDICTI II. IN SEDE APOSTOLICA
PAPA ALEXANDRO III. RESIDENTE MENSE JVLII
IN FESTIVITATE BEATI JACOBI APOST. ET BEA
TI CHRISTOFORI HEC ECCLE. BEATI PETRI APOST.
CONSECRATA EST AB EPISCOPO REATINO DO
DONE ET FVLIGNENSI EPO ANSELMO ET FOR
CONENSI EPO BERARDO AD HONOREM BE
ATI PETRI APOST. S. RELIQ. SCOR. .... RIE VIC
TORINI BARBARE ET ALIORVM SCORVM PLV
RIMORUM IN DOMINO AMEN ✠ ET FECERVNT
ABSOLVTIONEM ANNVATIM II ANNOS ET XL DIES (1).

XXXIII. Dodoni Suffectus fuit *Septimius Quarinius* Bononienſis unius anni Pontifex: Quarinio *Benedictus*: Benedicto *Adinulphus* ex nobiliſſima Secenaria familia, quæ cum ad hæc uſque tempora æquo Semper ſplendore floruerit, in proximo tandem eſt, ut finem habeat. De his conſulendus Ughellius. Adinulpho Reatinæ Urbis Epiſcopo eamdem civitatem ad annos primum aliquot a Rogerio Siciliæ Rege obſidione cinctam arctiſſima, tandem captam, & igne ferroque deletam ex antiquo codice Ugellius narrat (2): additque de Suo, Cives, qui ſuperfuerant cladi, excidioque Adinulpho curante, in Patriam remigraſſe, eamque exædificandam cepiſſe. Hæc certe Adinulpho Epiſcopo

Civitas Reatina a Rogerio Siciliæ Rege deſtructa fuerit Sæculo duodecimo Epiſcopo Adinulpho.

(1) Indictio II. quæ legitur in hac inſcriptione, ut Antinorius obſervat, error eſt inſcriptoris, & in III. eſt commutanda. Cum enim Epiſcoporum acceſſus ad ea Templa dedicanda ad annum ſpectet 1170, eo anno indictio erat III. non II., quæ ad Menſem Septembrem anni 1169. ſolum perduravit.

(2) In Reatinis ad Adinulphum *num. in ſua ſerie* XXV, ubi eum codicem recitat.

po contingere nequiverunt. Cum enim Rogerius regnum iniverit anno 1129: vitæ vero finem fecerit anno 1154. (1), excidium certe Reatinæ urbi inferre non potuit, & infinitam hanc Adinulpho creare moleſtiam, quem anno 1193 dictum adhuc *electum* legimus in monumentis hujus Eccleſiæ. Ego vero præterea tantam hanc Urbis Reatinæ calamitatem a Scriptore, quem ſciam, nullo commemoratam legi. In celebri Chronico Foſſæ novæ, cum omnia referantur Regis Rogarii geſta, & quæ habuerit contra Romanos Pontifices bella, quaſque urbes, & oppida devaſtaverit, nunquam legenda tanta hæc Reatinorum clades occurrit (2). Quæ quidem cum & tanta fuiſſe dicatur, ut cum Trojano excidio comparari potuerit, & plurium annorum obſidio eidem præiviſſe, non videtur involvenda fuiſſe ſilentio. Anno certe 1185 Urbis Reatinæ conditio tam miſeranda eſſe non poterat; cum eam ſelectam potiſſimum fuiſſe legamus, in qua Conſtantia Rogerii Regis Filia ab Henrico Rege per Legatos *cum maxima multitudine Principum, & Baronum* in uxorem reciperetur, ut legere eſt apud hiſtoricos, & relata ab Ughellio docet inſcriptio (3). Quæ anno illi preiverunt, tempora a morte Rogerii, quæ ſecuta ſunt ad Innocentium III Summum Pontificem (qui, ſi illi codici fides, eade cauſſa Reate ſe contulit, ut afflictiſſimam urbem Adinulphi Epiſcopi opera reſurgentem *ſua* præſentia recrearet), nullam video potuiſſe dare occaſionem, cur ea devaſtaretur (4). Hæc ego cum animo

(1) Ex Chron. Foſſæ novæ, aliiſque.

(2) Sed neque in Chron. Anonym. Caſin. apud Pratillum: neque in alio Falcon. Benvent. aut in Suppl. Chron. Murat. apud eumdem *tom. IV.* etſi in iis de Rogerio ſatis multa.

(3) In Reat. ad Episc. *Benedictum num. in Sua Serie* XXIV

(4) Ejecto ab Anconitana, & Camarinenſi Marchia Marqualdo, & a Ducatu Spoletano Conrado, utriuſque potitus eſt Innocen-

mo reputarem , ſuſpicatus ſnm , Scriptorem illius codicis, quem ego nec adeo vetuſtum, nec tanti facio, quanti facit Ughellius, excidium illud innuere voluiſſe, quod non a Rogerio Siciliæ Rege , ſed a Friderico II Imperatore paſſa eſt ea civitas anno 1242, de quo Chronicon Richardi de S. Germano (1). In illud niſi omnibus, multis certe numeris quadrant, quæ de Rogeriana clade in codice illo narrantur : Reatinorum ſcilicet virtus in vi contra vim adhibenda , urbis obſidio, & fortaſſe diuturna cum miſeranda ſuburbiorum , arvorumque devaſtatione. Cum enim Menſe Julio anni 1241 Reate Fridericus veniſſet urbem occupaturus, ſive antiqua jura renovaturus (2), eamque

Reatina Civitas a Friderico II Imperatore fruſtra tentata, & obſeſſa maximam patitur calamitatem Sæculo decimo tertio.

G ejus

centius III Pontiſicatus ſui anno primo. Inter alias urbes ad obſequia Innocentii tunc venit etiam Civitas Reatina, quæ tunc primum ex publica Senatus auctoritate *Solvit Domino Papæ treſdecim ſolidos parvorum, & triginta denarios Lucenſium de juſtitiis Curiæ Romanæ & promiſit de cetero reddere Domino Papæ & Eccleſiæ Romanæ medietatem de Placitis, & Bannis, & Forliſactis, & de Sanguine, & de Plaza, & Scorto, & Paſſagio, & Ponte Reatinæ Civitatis Anno Incarnationis Milleſimo Centeſimo nonageſimo octavo, Indictione I Anno primo Pontificatus Domini Innocentii* III *Papæ, Menſis Augusti die* XIV. Acta publica legere eſt apud Murat. *tom.* II. *Antiquit. Ital. colum.* 17. Hanc ego arbitror veriſimiliorem cauſſam, cur Reate venerit Innocentius, nt ſcilicet eam urbem ad ſui obſequium facilius induceret ſua præſentia. Etenim animadverto, ea ipſa ſactorum die Reate fuiſſe Innocentium: quod conſtat ex lapide translationis Sacrorum corporum Eleuterii, & Antiæ Matris ejus per Innocentium factæ pridie ante, die nempe 13. Auguſti anni 1198. ut videre eſt apud Ughel. in Reatinis ad Adinulphum, ubi ea inſcriptio legitur.

(1) Eſt in Tom. X Ital. Sacræ apud Ughellium.

(2) Reatinam Urbem non ita pridem omne Imperatorum, Ducumque Spoletanorum excuſſiſſe jugum, argumento ſunt certo, quæ ſupra retulimus, pacta, atque conventa cum Innocentio III anno 1198. Honorio etiam III Summo Pontifice anno 1225. urbem ipſam impetraviſſe, ut ſub Apoſtolicæ Sedis domino reciperetur, ita tamen *ut retineretur ad manus Summi Pontificis in plena libertate, qua Apoſtolica Sedes tenebat ipſas Campaniæ Civitates, quæ Romanæ Eccleſiæ nullo modo ſunt ſubjectæ : impoſito ſolum cenſu triginta libr. in ſingulos annos ex maleficiis*, collegit ex origina-

li-

ejus imperia obtrectantem inveniſſet, Romam profectus, anno ſequenti Majo menſe per Andream Cicala ſuum in Neapolitano Regno Ducem obſidione fruſtra tentatam prius non reliquit, quam Suburbiis arviſque igne ferroque vaſtatis (3). Siquis vero miretur, Scriptorem illius Codicis in tam diverſa abire potuiſſe, ſciat, Eum ipſum eſſe, qui acta SS. Eleuterii, & Antiæ Matris ejus Papebrochii judicio damnata ex ingenio ſuo conſcripſit, ut ſupra diximus num. IV: illudque Reatinæ urbis excidium ad Adinulphi Epiſcopi tempora propterea retuliſſe, ut ab eorum Martyrio, & Sepultura viam ſibi ſterneret ad Sanctorum corporum inventionem, & translationem per Innocentium III Summum Pontificem. Porro hujuſmodi Scriptorum genus addere, miſcere, ſus deque cuncta confundere, humaniſque capitibus cervices equinas jungere ſolitum, quis ignorat? Sed redeundum eſt ad Adinulphum.

XXXIV. De Adinulpho quoque publicum remanet monumentum, quoad Amiternæ Eccleſiæ jus dixerit. Etenim Prætorii, quod, ut ſupra diximus, oppidum eſt Amiternæ Diœceſis, in fronte ejus portæ, quæ a latere eſt ejuſdem Templi, legere eſt ſculptam in lapide hanc inſcriptionem.

✠ ANNO

li Honorii III diplomate in ſecreto tabulario ejuſdem Urbis doctiſſimus, & Cl. vir *Joſeph Garampius* Baſilicæ Vaticanæ Canonicus, ejuſdemque ſecretiori tabulario Præpoſitus in libro eruditiſſimo, cui titulus *Illuſtrazione di un antico Sigillo della Garfognana* Romæ edito anno 1759 *Cap. I num. XVII pag.* 40.

(2) Ibi ad annum 1241 *Menſe Junio Imperator venit Narniam, quam ſibi reſiſtentem invenit: propter quod facta in exterioribus vaſtitate inde diſceſſit, & verſus Reate concito vadit, quam ſibi reſiſtentem invenit, & tunc Imperator vocatus a Joanne de Columna Cardinali feſtinat ad Urbem*.

Ad annum vero 1242 *Menſe Maji Andreas de Cicala Regni Capitaneus juſſu Cæſaris congregato exercitu tam militum, quam Servientium de Regno ſuper Reate vadit, quam exterius totam devaſtat &c.*

✠ ANNO DOMINI M. CCCI RESIDENTE IN ECCLESIA REAT.
EPISCOPO ADINULPHO RAINALD NICOL. ARCHIPRESBITER H. ECCLESIE
H. OPVS FI
ERI FECIT. Q. MAGIST. VV FABRICAVIT.
RESTAVRATA FVIT ANNO D. M. VCXXVIII (1)

Quid erat neceſſitatis ætatem operis facti ab Epiſcopo Adinulpho diſtinguere, ſi in Reatinorum Epiſcoporum jura non tranſiverat Eccleſia Amiterna?

XXXV. Nullum aliud, quod ſciam, ſupereſt in Amiterna Diœceſi de exercita per Reatinos Epiſcopos jurisdictione publicum monumemtum. Eamdem tamen fuiſſe etiam penes eos Epiſcopos, qui ſecuti ſunt Adinulphum ad annum uſque 1257, omne dubium excludunt Clementis IV Summi Pontificis literæ ad Carolum Andegavenſem, & ad Abbatem Sancti Paſtoris, quibus, Aquilana nova Urbe Regis Manfredi juſſu deleta, cum paulo poſt, eo occiſo, & Carolo Adegavenſi regnante, de ea exædificanda ageretur, graviſſime Clemens obſtitit, gravi Reatinæ Eccleſiæ propoſito detrimento, a qua una cum incolis in Urbem novam deductis Archipresbyteri quoque oppidorum Amiternenſium ab anno 1257 defecerant, ſeque Aquilani Epiſcopi poteſtati, & jurisdictioni permiſerant: de qua re non nihil infra. Interim vero rem me facturum cenſeo nec inutilem, nec im-

Reatinorum Epiſcoporum jurisdictio ſupra Eccleſias Amiternenſes quamdiu duraverit.

 por-

(1) Etiam in hac inſcriptione Sculptor peccavit, & annum poſuit MCCCI pro MCCI. Eo enim anno neque Reatinæ Eccleſiæ præerat Adinulphus; neque Eccleſia Amiterna amplius ſuberat Reatinis Epiſcopis. Sed una cum Furconenſi conflaverat Aquilanam. Rem plane conficit *Archipresbyter* ille *Raynaldus*, Cujus in inſcriptione fit mentio. Cum enim idem met Archipresbyter in alia inſcriptione commemoretur ad annum 1197 apud Antinorium *lib. laud. cap. 4. de Diœc. Amit.*, nullum de Sculptoris errore relinquitur dubium.

portunam, ſi breviter inveſtigem, unde fuerit factum, quod Eccleſia Amiterna ſuis Paſtoribus deſtituta in Reatinorum Epiſcoporum jura conceſſerit. Quandoquidem vero nullæ hactenus patuere Apoſtolicæ Summorum Pontificum literæ, quibus Amiternenſes Eccleſiæ ex eorum auctoritate juriſdictioni Reatinorum Epiſcoporum permitterentur: Nec eas aliquando fuiſſe ex eo colligam, quod neque ex Tabulario Reatino Nobis eas inſinuaverit diligentiſſimus Naudæus: Neque in ſuo abſolutiſſimo opere de Amiterna Diœceſi eruditiſſimus Antinorius: Neque eas Epiſcopi Reatini produxerint contra Amiternenſes Archipresbyteros nova molientes, & ad Aquilanum Epiſcopum deficere meditantes: Ideoque nullus ſit locus, niſi divinationi, id quod probabile ſuſpicor, proferam.

Unde factum fuerit, quod Amiterna Diœceſis juris fieret Reatinorum Epiſcoporum Sæculo undecimo.

XXXVI. Itaque ego ſic ſentio: Ludovico, vel qui ipſi proximus fuit in Amiternenſi Epiſcopatu, defuncto anno circiter 1070 tempore illius ſæviſſimæ perſecutionis contra Gregorium VII, alioſque Pontifices, Eccleſiæ rebus perturbatiſſimis, Pontificibus extra ditionem, imo extra Italiam multo tempore profugis, Guiberto Antipapa in Dei Eccleſiam intruſo (1), vacare primum aliquo tempore debuiſſe Amiternam Eccleſiam: Inde Archipresbyteros præcipue Sancti Victorini, quorum tunc erat major auctoritas, & quorum fortaſſe tunc erat una cum paucis Canonicis ſibi Epiſcopum deſignare, cum inter ſe, ut ſæpe contigit, de eligendo Epiſcopo convenire non poſſent: Neque daretur facultas in illa temporum iniquitate Romanum Pontificem in Galliis probabiliter profugum adeundi (2), qui vel diſſidia compo-

(1) Conſule vitam S. Gregorii VII auctore Paulo Bernriedenſi ſubæquali. Eſt *tom. IX Actor. Ss. Ordin. S. Benedicti apud Mabill.*

(2) Quas Gregorius VII, Victor III, Urbanus II, Paſchalis II, Gelaſius II, perpeſſi ſint calamitates: quam ſemper irrequie-

Amiternenſes Eccleſiæ ab Epiſcopo Reatino ad Aquilanum deficiunt Sæculo decimo tertio; Qua auctoritate id fecerint.

poneret, vel auctoritate ſua (ut in his caſibus fieri ſolitum fuiſſe percepimus) Epiſcopum deſignaret: facta demum conſpiratione ſe ſe Reatini vicinioris Epiſcopi juriſdictioni certis pactis, & conditionibus permiſiſſe, Romanis Pontificibus primo ignorantibus, poſtea tolerantibus (1). Id non eſt adeo ex ingenio meo confictum, ut nullas habeam conjecturas. Primum illud mihi vim non exiguam facit, quod non ſolum diploma productum ſit hactenus nullum, quo unio Amiternæ Diœceſis cum Reatina vel juſſa fuerit, vel approbata a Romano Pontifice; Sed de hujuſmodi dato diplomate nulla ſit in Reatina Eccleſia, nulla in Amiterna traditio. Producet fortaſſe quis Anaſtaſii Apoſtolicas literas ad Dodonem Epiſcopum datas, in quibus inter Eccleſias a Reatinorum Epiſcoporum juriſdictione pendentes eas etiam complectitur, & confirmat, quæ erant, ut ſupra diximus, Amiternæ Diœceſis: Vel etiam Clementis IV ad Carolum Andegavenſem, & Abbatem Sancti Paſtoris, in quibus pro conſervandis Reatino Epiſcopo Eccleſiis Amiternenſibus peculiarem curam adhibuit, de quibus infra. Animadvertendum tamen propono, eorum Pontificum literas datas fuiſſe, alteras quidem poſt integrum Sæculum, alteras vero poſt duo, ex quibus Amiternam Eccleſiam unitam jam cum Reatina cognoſcimus, & ab ipſa diuturnitate præteriti temporis confirmatam. Et quidem diploma illud primum Anaſtaſianum fortaſſe poſt Sæculum impetrandum ſibi curavit Reatinus Epiſcopus Dodo calido, prudentique conſilio, ut, quoniam unio Amiternienſis Eccleſiæ cum Reatina nulla Romanorum Pontificum auctoritate fuerat inſtituta, eo diplomate confirmaretur. Clemens vero poſt

quieti, agitati, extra propriam Sedem profugi ab anno 1073. ad annum 1119, & ultra, eruditos latere non poteſt.

(1) De pactis his paulo poſt erit Sermo.

poſt unionem ducentorum annorum diuturnitate, & Anaſtaſii Pontificis ſibi Superioris diplomate confirtam cur eam contra Archipresbyteros Amiternenſes nova molientes non tueretur? Interim tamen obſervo, Clementem omnem quidem operam collocaſſe (Epiſcopo Reatino, & Provinciæ Dynaſtis (1) ſine ullo dubio inſtantibus, & acerrime ſtimulantibus) pro juribus Eccleſiæ Reatinæ tuendis, ne ſcilicet Amiterna Diœceſis a Reatini in Aquilani Epiſcopi jura tranſiret: Monitumque propterea voluiſſe Aquilanum Epiſcopum Eccleſiaſticis etiam pœnis objectis ne Rectoribus, & Clericis Eccleſiarum Amiterneſium Reatinæ Diœceſis, ipſique Reatino Epiſcopo negotium, moleſtiamque ultra faceſſeret (2). Nihilominus tamen Civitate Aquilana iterum ædificata, cum Diœceſis Archipresbyteri ſe iterum in eam cum populo tranſtuliſſent, omnem quoque Diœceſim in Aquilanorum Præſulum jura iterum tranſtulerunt, in quorum juriſdictione adhuc perſeverat. Neque tamen ullum

(1) Conſule Antinorium *loco laud. cap. IV num.* X.

(1) Duas de hac re habemus Clementis IV. Apoſtolicas literas, quarum primæ ſunt ad Regem Carolum Andegavenſem: eaſque vide apud Antinorium *lib. laud. Cap.* IV *num.* X. Secundæ ſunt ad Abbatem Sancti Paſtoris, conſervanturque in tabulario Eccleſiæ Reatinæ *Arm.* IV. *Faſciculo* A. In iis inter cetera hæc habentur- *Accepimus, quod Ven: Frater Noſter* (Epiſcopus Aquilanus) *ſuis finibus non contentus Rectores, & Clericos Eccleſiarum de Amiterno Reatinæ Diœceſis ad Suas Synodos ire compellens multipliciter impedit eumdem Epiſcopum Reatinum, quo minus in eadem Diœceſi ſuam juriſdictionem valeat exercere: Contra eum quoque gravaminibus diverſa gravamina cumulans Rectoribus, & Clericis præfatis injungat ad hoc certum terminum pro ſuæ voluntatis libito præligendo, ut deſtructis eiſdem Eccleſiis ad Aquilenſem Civitatem ſe conferant ibidem conſtructuri Eccleſias, & in eis perſonaliter moraturi: Tum illos, qui ſecus fecerint excommunicationis de facto promulgando ſententias, & præfatas Eccleſias ſupponendo Eccleſiaſtico interdicto in eorumdem Epiſcopi, Capituli, dictorumque Rectorum, & Clericorum præjudicium, & jacturam: Diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus &c. &c. Viterbii Pontiſc. anno* IV.

lum eſt monumentum, quo vel in Epiſcopum Aquilanum vel in Archipresbyteros Amiternenſes inflictas fuiſſe noſcamus a Romanis Pontificibus Eccleſiaſticas pœnas. Id mihi argumento eſt, Archipresbyteros Amiternenſes, ſicuti ex propria voluntate, non ex aliquo Apoſtolicæ Sedis decreto Reatinis Epiſcopis ſuperiori tempore ſe ſubdiderant, ita in ſua libertate poſitum eſſe cenſuiſſe, iterum a Reatinis in Aquilanorum Antiſtitum jura tranſire. Idque ipſum a Romanis Pontificibus tandem cognitum in cauſa fuiſſe, cur hunc tranſitum tolerarent. Tolerarent, inquam; Eorum enim diplomata, quibus monentur Eccleſiaſtici viri, populuſque Furconienſis Eccleſiæ, ut, quem *Furconienſem* venerati hactenus fuerant, *Aquilanum* Epiſcopum impoſterum dicerent, colerentque, lego (1). Quibus vero Amiternenſes juberentur, ut, quemadmodum *Reatinum* Epiſcopum ante coluerant, ita *Aquilanum* deinceps venerarentur, non lego: multoque minus, quod ipſa etiam oppida etſi pleriſque incolis deſtituta cenſerentur impoſterum eſſe in Aquilana Diœceſi.

XXXVII. Hoc primum, ex quo aliud ſequitur ad eamdem rem non minoris ponderis argumentum. Si enim nulla impetrata a Summis Pontificibus facultate, putaverunt Archipresbyteri Amiternenſes ſibi licere, rebus Eccleſiæ compoſitis, Summis ipſis Pontificibus in ſua ditione quiete degentibus, ab Epiſcopo Reatino deficere, & cum Aquilano de certis pactis, & conditionibus convenire, antequam ſe ſuaſque Eccleſias ejuſdem juriſdictioni permitterent (2): negabimus fieri antea po-

(1) Sunt apud Ughell. *tom. I. Ital. Sac. in Aquil. ad Bernardum num. in ſua ſerie* XI, ubi plura de hac re Alexandri Papæ IV diplomata. De his conſulendus eſt Antinorius *lib. laud.*

(2) Præter adducta id adeo verum eſt, ut Archipresbyteri Amiternenſes timuerint, ne ab Epiſcopo Reatino, a quo erant mox de-

potuiſſe, ut eodem modo cum Epiſcopo Reatino convenerint, quo tempore Romani Pontifices anguſtiis preſſi hac illacque vagi nulla certa ſede diſcurrerent?

Quanta Archipresbyterorũ Amiternenſium olim auctoritas & jurisdictio in ſuas Eccleſias.

XXXVIII. Sed id ipſum videntur clarius evincere eadem pacta, conditioneſque ab Archipresbyteris Amiternenſibus initæ cum Epiſcopo Aquilano Berardo. Clare liquet ex iis Archipresbyteros Amiternenſes antequam cum populo Aquilam habitatum venirent, magnam, & quaſi Epiſcopalem exercuiſſe in ſuis Eccleſiis auctoritatem, & juriſdictionem in Clericos, in Canonicos, in Capellanos, in Presbyteros, populumque ſibi ſubiectum: eamque tantam, ut in aliarum Dioeceſium Archipresbyteris parem fruſtra requiras: adeo ut cum eadem Aquilano Epiſcopo confirmanda propoſita primum fuit, de ea non immerito viſus ſit dubitare (1). Cum probabilitatis fines excedat, tanta hac juriſ-

defecturi, moleſtiis afficerentur, certe apud Summum Pontificem, ad quem Reatinum eumdem Epiſcopum cognoſcebant provocaturum: Ideoque unum ex pactis fuit - *Item defendat, & promittat D. Aquilenſis defendere Eccleſias, Prælatos, Capitula, & Clericos quondam Amiterni ſuis expenſis ab omni vexatione, quam D. Epiſcopus Reatinus faceret* - quibus ita reſpondit Berardus Aquilanus Epiſcopus - *Dummodo præſtentur nobis quæ præſtiterunt Epiſcopo Reatino: & ſuper his fiat, quomodo placet* - Hæc ne Archipresbyteri Amiternenſes, ſi Summi Pontificis interceſſiſſet auctoritas in hoc tranſitu?

(1) Conſule Antinorium *lib. laud. cap. IV.*, ubi legere eſt *pag.* 518. hujuſmodi pacta cum Berardo Epiſcopo Aquilano, ejuſdemque aſſenſum aliquando his verbis conceptum - *Placet, ſi probetur liquide, & rationabiliter - Placet, dummodo fuerit talis conſuetudo comprobata ſalvis omnibus conſuetudinibus hic poſitis, & omnibus aliis juribus approbatis, & conſuetis - Placet, ſi fuerit rationabiliter, & liquide probata talis conſuetudo - Placet, dummodo probetur, quod habeatur ex conſuetudine approbata, & Canonica &c.* Nec miraberis, ſi ea conſideraveris, quæ pacta hujuſmodi continebant. Non erit importunum huc aliqua adducere.

Item .... Subditi Canonici & Capellani conveniantur coram Prælato (hoc eſt Archipresbytero) ipſorum in quocumque conveniantur, & occuſentur: & ſi Prælati non facient juſtitiam de ſubditis, recurratur ad ipſum Dom. Epiſcopum Aquilenſem, ad quem etiam appelletur. Reſpondit

Item

juriſdictione præditos fuiſſe ſub Epiſcopis Amiternenſibus; ſupereſt, ut conſecuti eam fuerint ab Epiſcopis Reatinis, cum quibus de his ipſis pactis convenire probabiliſſime debuerunt. Quemadmodum vero aſſenſum facilem a Reatinis Epiſcopis conſequi potuerunt [quocumque enim modo res ageretur, ampliori ſemper eorum auctoritati, juriſdictionique favebat]: probabile ne reputabimus Summos Pontifices iis ipſis pactis eadem facilitate aſſenſuros fuiſſe, ſi ex eorum au·

H cto-

Item petunt, quod D. Epiſcopus Aquilenſis conſervet Eccleſias, Prælatos, Capitula, & Clericos quondam de Amiterno in omni bono uſu, conſuetudinibus, juriſdictionibus, & dignitatibus ſuis. Uſus, conſuetudines, juriſdictiones, & dignitates, ſunt hæc. Quod Prælati Eccleſiarum conſueverunt corrigere ſubditos, Canonicos, Clericos, & Capellanos ſuos in Eccleſiis, & Capellis ſibi ſubjectis. Reſpondit D. Ep. &c.

Item quod ipſi Prælati cum Capitulis inſtituunt, & inſtituere conſueverunt Clericos, & Capellanos in Eccleſiis ſibi ſubjectis, & recipere ab eis obedientiam, & reverentiam. Reſpondit &c.

Item quod de providentia Prælatorum tantum Canonici, & Capellani, & ſubditi ipſorum conſueverunt repræſentare ad Ordinem promovendum ad Dom. Epiſc. per literas ſpeciales, aut nuncium ſpecialem, & poſtmodum ab Epiſcopo ordinari: & Epiſcopus non conſuevit ordinare aliquem, niſi per Prælatum ſuum fuerit repræſentatus: & ſede vacante per Capitulum. Reſpondit D. Ep. &c.

Item quod D. Epiſcopus excomunicatum a Prælato non conſuevit abſolvere; ſed remittit eum ad Prælatum, vel ſaltem cauſa cognita decente, & requiſito Prælato abſolvit abſolvendum. Reſpondit &c.

Item quod Eccleſiæ quondam Amiterni fuerunt liberæ, & exemptæ, & immunes ab omni præſtatione decimarum, mortuorum, & teſtamentorum, & Cathedratici. Reſpondit &c.

Dignitates, & juriſdictiones Eccleſiæ Sancti Victorini ſunt hæ. Eccleſia Sancti Victorini conſuevit cognoſcere de cauſis matrimonialibus, & habere jura Epiſcopalia in Caſtro S. Victorini, Piczuli, Porcinarii, Rocce de venis, & Clareni: & prædicti conſueverunt recipere ab Eccleſia Sancti Victorini Sanctum Chriſma, & judicavit de oppreſſionibus in Caſtris prædictis, & in Caſtro Præturi, & tota terra Prætoriani, & dare Chriſma, & Oleum prædictis, & in Caſtro Ariſchii Sanctum Chriſma. Reſpondit D. Ep. &c.

Item Eccleſia S. Petri de Poppleto conſuevit iudicare in Caſtro Poppleti, & S. Antiæ de oppreſſionibus. Reſpondit Dom. Ep. &c. Actum in Civitate Aquilæ in Eccleſia S. Maximi anno Menſe, die & indictione prædictis - hoc eſt anno D. 1257 menſe Januarii die 21 Indictione XV.

ctoritate Reatinæ unita fuiſſet Amiternenſis Eccleſia? Hæc de acquiſito Reatinorum Epiſcoporum jure ſupra Eccleſias Amiternenſes: Quæ de amiſſo referri poſſent, ex dictis facile colligentur. Redeo ad ſeriem.

Adinulpho Raynaldus hujus nominis primus in Sede Reatina ſufficitur. Quamdiu Sederit.

XXXIX. Adinulphum adhuc in vivis fuiſſe anno 1209 ex actis cognoſcimus in tabulario Reatino aſſervatis teſte Naudæo: & vitam ad plures fortaſſe protraxit. Prima enim, quæ in eodem tabulario occurrunt de Raynaldo, qui in eadem Cathedra Adinulpho proximus ſedit, annum connotant 1216 (1). Raynaldum hunc Ughellius memorat ad annum uſque 1225. Ex tabulario vero Reatino ejuſdem acta nobis Naudæus inſinuat ab anno 1216 ad annum 1233 (2). Hinc *Odonem* illum, quem in hac ſerie ad annum 1227 Ughellius ſtatuit, nullo propoſito monumento, removendum facile intelliget, qui duos in eadem ſede eodem tempore Epiſcopos componi non poſſe conceſſerit. Fortaſſe aliis eam temporibus Odo hic occupavit. Ex ſola vero divinatione eum ego certe nullibi ſtatuam. Raynaldum eadem auctoritate Amiternenſibus præfuiſſe, qua ſibi ſuperiores Epiſcopi, ex ea colligo facultate, quam anno 1220 quibuſdam Dominis oppidi *Camponiſcæ* fecit Templi ædificandi in honorem B. Virginis in eo loco, quem incolæ *Podium Verulum* dicunt in eadem Amiterna Diœceſi (3).

Odo in hac ſerie poſitus ab Ughellio num. XXVII. non fuit Epiſcopus Reatinus Sæculo decimo tertio.

Raynaldum ſecuti ne fuerint duo Raynerii.

XXXX. Quandoquidem acta Raynaldi non excedunt annum 1233: Eodemque Gregorius IX P. M. Raynerium in ſuis literis memorat, conſequens eſt, ut annus ille Raynaldo poſtremus, Raynerio vero primus fuerit in hac ſede. Raynerio Raynerium Ughellius ſuffiſit ex ea lite, quam anno 1249 eidem *Bonus comes* Reatinæ urbis Prætor intendit de equo, cui Ray-

(1) *Ex variis actis Arm. II. Faſcic. C. Arm. IV. Faſc. M*
(2) *Ibidem, &* *Arm. IV. Faſcic. K & G Arm.* III. *Faſcic. C.*
(3) *Ex tabul. Reat. Arm. V Faſcic. G.*

Raynerius inſederat, cum primum urbem ingreſſus eſt: quem ſibi debitum ex antiquo more idem Prætor contendebat (1). Cum enim hæc quæſtio Raynerium arguat Epiſcopum a tempore non admodum multo, ſequitur, ab eo fuiſſe diverſum, qui Eccleſiam hanc adminiſtrandam ſuſcepit anno 1233. Ad alterum vero ab altero diſtinguendum non eſt, quod ad eam quæſtionem confugiat Ughellius; ſatis enim utrumque diſcriminat *Joannes Epiſcopus*, qui, cum huic Eccleſiæ præeſſet anno 1236., infert neceſſario, eum Raynerium, qui anno 1233 hanc Eccleſiam adminiſtrabat, eſſe alium ab eo, qui eidem moderabatur anno 1249. A tenebris, in quibus hactenus hic *Joannes Epiſcopus* jacuit, in lucem iterum prodit ex quadam donatione, quam *Joannes* neſcio quis *Saxius* Reatinus fecit huic Eccleſiæ eo anno, in qua inter cætera hæc leguntur - *Vobis Domine I Epiſcope Reatine recipienti procuratorio nomine pro Eccleſia Reatina ſt duas ptes omnium rerum mearū ſtabili ubicumque ſunt, & cum omnibus hominibus deſuper habitantibus reſervato uſufructibus ipſarum rerum toto tempore vitæ meæ die 9 Menſis Auguſti Indictione IX. anno X Gregorii P. IX.* (2). Porro per initialem eam literam I *Joannem* ſignificari in extima donationis ejuſdem fronte recentiori quidem, ſed tamen antiqua manu notatum eſt. Raynerius II Cathedram hanc implere diu non potuit. Anno enim ſequenti 1250 ſeptimo Idus Martii paucis menſibus interjectis *Raynaldum* hujus nominis II jam in ea ſedentem ejuſdem decreta teſtantur, quæ ad componendos Canonicorum, & Cleri mores ab eodem tunc edita in Tabulario ejus Eccleſiæ etiam num aſſervantur (3).

Joannes Reatinus Epiſcopus Sæculo decimo tertio Ughellio non notus inter duos Raynerius medius.

(1) *Ex eodem tabul. Arm.* VIII. *Faſcic. C.*
(2) *Ex tabul. Reat.*
(3) *Ex eodem tabul. Arm.* II *Faſcic. E.*

F. Dominicus Ord Prædicat. ab Ughellio in Serie poſitus num. XXX non fuit Epiſcopus Reatinus.

XXXXI. Inferre licet ex his, locum hic eſſe non poſſe F. *illi Dominico Ordinis Prædicatorum*, quem poſt hanc Eccleſiam aliquot annis adminiſtratam *cum ſenio jam pulſaretur, a Pontifice Romano tamquam emeritum militem miſſionem impetraviſſe anno* 1250 narrat Ughellius auctoritate Marini de Ebulo: *eaque obtenta alacritate plenum rediiſſe ad Clauſtra* ſibi, Deoque victurum. Si enim anno 1249 Raynerius: Si anno 1250 Raynaldus, quis locus F. Dominico? Anno 1235 hunc Epiſcopum faciunt Fontana, & Cavallerius, fortaſſe, quod anno 1250 ſtatui non poſſe animadverterint. Cum vero nullum proferant, quo id comprobent, monumentum: nec multo ante, ſcilicet anno 1233 noſcamus huic Eccleſiæ præfectum fuiſſe Raynerium: nec multo poſt, anno ſcilicet 1236 Joannem habeamus Reatinum Epiſcopum: Nulla præterea quotquot a me inveſtigari diligentiſſime potuerunt in Ordine Prædicatorum antiquiſſima monumenta F. ullum Dominicum Reatinum Epiſcopum memorent, cum iis convenire non poſſum. Crediderim potius præclaris ſuis virtutibus meruiſſe Dominicum, ut Raynerio II vita defuncto vel anno 1249 ad finem, aut 1250 ad initium, ad hanc infulam eodem anno ab Innocentio IV Summo Pontifice vocaretur. Sed eum vel reluctantem ſtudio modeſtiæ, vel excuſantem ſenii neceſſitatem locum reliquiſſe Raynaldo: & hanc eam fuiſſe *miſſionem*, quam Marino de Ebulo auctore a Summo Pontifice impetraviſſe Dominicum, Ughellius narrat.

XXXXII. Ad annum 1299 *Aldobrandinum* inter Reatinos Epiſcopos collocandum monent ex immortalis memoriæ viro Abbate Cannetio eruditiſſimi viri Abbas Mittarellius, & Coſtadonius Camaldulenſes (1). Cum enim Cannetius ſermonem haberet de illuſtri

(1) *Tom. VI. Annal. Camald. lib. LIX. ad annum* 1420

luſtri S. Marci Florentino cœnobio condito a Monachis Sylveſtrinis, & de primo ejus Templi lapide jacto in fundamenta a Franciſco Monaldeſchio Balneoregienſi tunc Epiſcopo Florentino die octava Martii ejus anni 1299 Indictione XII Pontificatus Bonifacii VIII anno quinto, inter ceteros, qui honeſtandæ pompæ cauſſa tunc aderant, Aldobrandinum etiam Reatinum Epiſcopum numerat: *de quo*, inquiunt laudati doctiſſimi viri, *altum Ughellii ſilentium*. Idque ex monumentis antiquis, quæ in bibliotheca S. Marci nunc Ordinis Prædicatorum aſſervantur. Eo tamen anno atque menſe Reatinam regebat Eccleſiam *Berardus*, ſive *Bernardus a Podio Lucenſis* ad hanc ſedem a Bonifacio VIII ab Anconitana traductus anno 1296, ut ex tabulis Vaticanis probat Ughellius. Berardo hoc ipſo anno 1299 e vivis erepto ſuffectus fuit in Reatina ſede *Jacobus Paganus* ſeptimo Kal. Octobris ejuſdem anni iiſdem Vaticanis tabulis apud eumdem Ughellium teſtibus: Proindeque locus nullus Aldobrandino remanet vacuus. Quid igitur? Adverto eo anno 1299 Aretinæ Eccleſiæ præfuiſſe *Ildebrandinum filium Comitis Guidii de Romena* virum in paucis egregium, de quo hyſtorici præſertim Rubeus & Joannes Villanius ſatis multa. Hunc ego eum fuiſſe Epiſcopum minime dubito, qui Florentino Epiſcopo Monaldeſchio Sancti Marci Templum inauguranti cauſſa honoris adſtiterit, dictuſque oſcitatione Scriptoris fuerit *Aldobrandinus Epiſcopus Reatinus*, cum ſcribi, vel legi debuiſſet *Ildebrandinus Epiſcopus Aretinus*: Niſi forte diceretur Ildebrandinus, & Aldebrandinus utroque modo.

Aldobrandinus non fuit Epiſcopus Reatinus ad finem Sæculi decimi tertii: bene vero Aretinus.

XXXXIII. Tres recenſet Ughellius in Reatina Sede ſibi ordine ſuccedentes eodem *Ludovici* nomine Epiſcopos: Quorum primum *de Alphanis* nefaria ſceleratorum hominum conſpiratione peremptum narrat anno 1399. Alterum dictum *Cichi Colæ de Bonaventura*,

tura, cum eſſet Canonicus Aquilanus eidem eo ipſo anno ſuffectum hanc Eccleſiam ad annum 1403 procuraviſſe. Tertium demum *de Theodenariis* poſt ſecundum huic ipſi Eccleſiæ præfectum vitam ad annum 1436 protraxiſſe. Non unum eſt, in quo emendandus videtur Ughellius. Imprimis ſacrilegam Ludovici Epiſcopi cædem non contigiſſe anno 1399., ſed 1397 die nona Februarii, monumentum habemus certum in codice per publicum Urbis Reatinæ, ut vocant, Cancellarium eo ipſo tempore accurate conſcripto (1). Secundo ſuffectum eidem fuiſſe alterum ejuſdem nominis Ludovicum, non anno 1399, ſed eo ipſo 1397 Novembri menſe, in eodem codice legimus; additumque in eo præterea, die ejus menſis decima octava ejuſdem anni Sacrum majori ritu in Templo principe celebratum *pro gratiarum actione*, *quod Ludovicus de Theodenariis fuiſſet noviter creatus Epiſcopus Reatinus* (2). Quod ipſum publicæ docent Romanæ tabulæ, in quibus ad annum 1401 fides fit, Ludovicum Epiſcopum Reatinum a Bonifacio IX in ea ſede locatum anno Pontificatus ejus VIII *ſolviſſe commune ſervitium* (3). Cum enim Bonifacius IX Petri ſedem implendam acceperit anno 1389, annus ejuſdem octavus in annum cadit 1397. Tertio, ex uno duos ita conflavit Ughellius, ut alter exceperit alterum: cum tamen unus fuerit ex nobiliſſima Theodenaria familia. Unum non duos fuiſſe liquet ex ejus familiæ monumentis antiquis, ejuſdemque arbore genealogica, in qua Ludovici *Cichi Colæ de Bonaventura* DE THEODENARIIS legitur ex Aquilano Reatinus Epiſcopus anno 1397. Alterum ab altero propterea diſtinxit Ughellius, quod familiam *Cichi Colæ de*

Duo non tres ſub eodem *Ludovici* nomine Epiſcopi Reatini ſibi Ordine ſuccedentes Sæculo decimo quarto, & quinto.

(1) Aſſervatur in tabulario Reatini Senâtus, idque legitur *fol.* 130.
(1) Ibidem.
(2) *Tom. I. pag.* 257. *In Archi. Dataria*.

de Bonaventura diverſam a *Theodenaria* crediderit. Id autem falſum eſſe, laudata monumenta ſignificant. De hoc cum in Aquilanis, tum in Reatinis agit Ughellius; ſed utrobique oſcitanter. In Aquilanis eum aſſerit factum Epiſcopum ejus Eccleſiæ anno 1388 Bonifacio IX Summo Pontifice: cum tamen Bonifacius non niſi anno ſequenti quarto nonas Novembris ad Romanam Sedem evaſerit (1). In Reatinis immemor horum ipſorum affirmat huic Eccleſiæ fuiſſe præfectum anno 1399, cum eſſet Canonicus non Epiſcopus Aquilanus. Erit, ut puto veritati conformius, ſi dicamus, ex Canonico Reatino factum Epiſcopum Aquilanum probabiliter ab Urbano VI anno 1388: Reatinum ex Aquilano a Bonifacio IX anno 1397: quod, ſi conſtans ſibi eſſe velit, ipſe non negabit Ughellius (2). In antiquo Pontificum Aquilanorum catalogo Ludovici hujus nulla legitur mentio (3). Cujus ſilentii illud in cauſſa eſſe debuit, quod, Aquilana Cathedra per Berardum primo, poſtea per Jacobum de Rodio, qui Clementis VII, & Benedicti XIII Pſeudopontificum erant a partibus, occupata, locus iis Epiſcopis eſſe non potuit, qui Urbanum, & Bonifacium venerabantur (4).

Joannes Columna Reatinæ Eccleſiæ perpetuus adminiſtrator: non autem Epiſcopus Sæculo decimo quinto.

XXXXIV. De Joanne Cardinali Columna non ſatis ſibi conſtare videtur Ughellius. Etſi enim in hac eum ſerie ita cum aliis Epiſcopis recenſuerit (5), ut tamen fateatur ingenue, Eccleſiam hanc fuiſſe illi a Sixto IV Summo Pontifice commiſſam, ut eam adminiſtratoris perpetui nomine regeret: Alibi tamen Reatinum

(1) Rayn. ad an. 1389. Pagius in vita Bonif. IX.
(2) Confer quæ de Ludovico Cola aſſerit in Aquil., ubi ex Canonico Reatino Aquil. dicit Epiſc., & poſt annos decem deductum ad Eccl. Reat.
(3) *Eſt in Tom. VI. Antiquit. Ital. pag.* 927.
(4) Confer quæ ibi erud. Antinorius *pag.* 935 *not.* 21.
(5) Ad hunc inter Reat. *num. in ſua ſerie* LIII.

tinum eum Epiſcopum dicit (1) Eccleſiam hanc adminiſtraſſe certiſſimum eſt: Epiſcopum minime fuiſſe, ſepulchralis declarat lapis in Templo Sanctorum Apoſtolorum, in quo Diaconus ſolum dicitur Cardinalis. Eo autem Reatinam Eccleſiam adminiſtrante Alexander VI P. M. Civitatem Ducalem cum aliquot oppidis avulſam a Reatina Diœceſi Epiſcopali honore donavit anno 1502. Quod cum Joannes, qui tum aberat in Sicilia, tuliſſet ægerrime, Alexandro defuncto, impetravit a Julio II, ut ea Civitas honore Epiſcopali ſpoliata Reatinæ reſtitueretur Eccleſiæ anno 1505. Sed cum Joannes quoque paucos poſt annos mortem occubuiſſet, Julius eamdem Civitatem ad honorem iterum Epiſcopalis Cathedræ elevavit anno 1508, Jacobo Alpharidio novo Epiſcopo conſtituto. Quandoquidem vero Joannes egregius quidem fuit hujus Eccleſiæ adminiſtrator, non autem Epiſcopus, in Epiſcoporum ſerie non cenſeo collocandum.

XXXXV. Ex Joannis obitu anno 1508 *Pompejo* ex eadem nobiliſſima Columnenſium familia in hac ſede factus eſt locus, de quo ſatis multa Ughellius, & multo plura Ciaconius. Pompejo a Julio II Summo Pontifice cum ceteris omnibus hoc etiam Sacerdotio ſpoliato anno 1512, ſunt qui Guillelmum Cardinalem Briſonettum intrudant, & rem ita narrant. Briſonettum, quod Piſanum Conciliabulum contra Julium acerrime promoviſſet, & ab eo ad Ludovicum II Regem Galliæ defeciſſet, inter ſchiſmaticos idem Julius amandaverat, Præneſtinoque Pontificatu dejecerat die Octobris vigeſima quarta anni 1511. Julio defuncto die vigeſima prima Februarii 1513, & Leone X ad Apoſtolicam ſedem evecto die Martii undecima ejuſdem anni, Briſonettus aliorum Cardinalium, qni in eadem navi

(1) *In ſerm. proem. ad Eccl. & Epiſc. Civit. Ducalis tom. I Ital. Sac.*

navi fuerant, ſecutus exemplum (1) rediit ad officium, implorataque Leonis clementia, humaniſſime exceptus fuit, reſtitutuſque priſtinis dignitatibus, & ſacerdotiis die ſeptima Aprilis anni 1514. Sed cum Cathedra Præneſtina a Fratre Marco Cardinali Vigerio tunc occupata, eidem iterum implendæ Briſonetto non eſſet locus, pro Præneſtina Reatinam illi Leo commendavit Eccleſiam, quam idcirco inter Cardinalitias ea de cauſſa tunc eſſe voluit, quoad uſque eam Briſonettus adminiſtraret. Ita Hieronymus Plati (2). Ita Suareſius (3). Ita Oldoinus (4). Ita vir Cll. Leonardus Cecconius Epiſcopus montis alti in Picæno (5).

Guillelmus Card. Briſonettus non fuit Epiſc: Reatinus Sæculo decimo ſexto.

XXXXVI. Unde Scriptores hi Reatinum Briſonetti Pontificatum acceperint, mihi fateor incompertum. Id unum ſcio de eo nihil Paridem Graſſium, qui minima quælibet Julii, & Leonis non modo geſta, ſed dicta in Conſiſtoriis, quibus ſemper interfuit, eaque præcipue quæ ad Briſonetti, aliorumque Cardinalium ſocietate ejuſdem criminis conjunctorum ſive dejectionem pertinent, ſive reſtitutionem, accuratiſſime ſcripſit: Nihil Paulum Jovium in vita Leonis X: Nihil Spondanum: nihil Guicciardinum: Nihil Raynal-

 dum

(1) Bernardini ſcilicet Carvaialis, & Friderici Sanſeverinatis, qui poſt petitam veniam, & ejuratum ſchiſma Cardinalatui fuerant reſtituti anno ſuperiore 1513 die lunæ 27 Junii.

(2) De dignit. & officio Cardin. cap. 2. pag. 55., ubi ſic: *Sex tantum fuere Cardinales Epiſcopi: niſi quod aliquando peculiares cauſſæ aliquas Eccleſias coegerunt adjungi, quibus cauſſis ceſſantibus reditum eſt ad hunc eumdem numerum, ut non ita pridem Leone X Pontifice cum Bernardino Carvajali, & Guillelmo Briſonetto utrique Epiſcopo Cardinali, quos Julius II depoſuerat, dignitatem reſtituiſſet, duas Epiſcopales Eccleſias adjunxit Reatinam, & Tiburtinam; ſed ea cauſſa ſublata eodem Leone vivente, utraque Eccleſia Cardinalis eſſe deſiit.*

(3) Præneſt. Antiq.

(4) Tom. I Operis Ciacon. columna 120, ubi ſub Leone X Reatinam, & Tiburtinam Eccleſias affirmat factas Cardinalitias.

(5) In ſua Hiſt. Præneſt. eruditiſſime ſcripta *lib. IV. cap. VI. fol. 315.*

Digitized by Google

dum: Nihil Pagium: Nihil, quos viderim, plures alios ejuſdem ævi ſcriptores, qui Leonis res geſtas literis tradidere: Nihil denique tabulas Vaticanas, quæ Briſonettum memorant quidem dignitatibus, & Sacerdotiis omnibus reſtitutum; Præneſtinam tamen Eccleſiam excipiunt: Cujus loco ſi Reatinam habuiſſet, hanc certe minime prætermiſiſſent (1). Quid? quod Pompejus Columna rebus ſuis paucos poſt dies a collato Leoni Romano Pontificatu cum eo compoſitis; immo cum Sacro Cardinalium Collegio ſede ex morte Julii vacante, Reatinam ſtatim Eccleſiam iterum adminiſtrandam verus Antiſtes denuo receperat (2)? Profecto in ſexta Lateranenſis Concilii ſeſſione habita die vigeſima ſeptima Aprilis anni 1513 uno poſt acceptum a Leone Pontificatum menſe inter cetera Patrum nomina *Pompejum etiam Reatinum* lego: quemadmodum etiam in aliis ſub eodem Pontifice celebratis. Quis igitur Briſonetto tunc locus, qui non niſi anno ſequenti poſt Pompejum Eccleſiæ ſuæ anno ſuperiori jam reſtitutum omnium poſtremus rebus ſuis ex Leonis humanitate conſuluit?

XXXXVII. Facile ex his colligere poſſumus, Ughellium erraſſe, cum ſcripſit, Pompejum anno 1417 in gratiam Summi Pontificis rediviſſe, & ab eo dignitates priſtinas recepiſſe. Eo anno Kalendis Julii in Cardinalium numerum relatus eſt a Leone (3). Sed ab anno 1513. Aprili menſe gratiæ, & dignitatibus a Summo Pontifice jam reſtitutum nihil magis, quam Lateranenſis Concilii acta teſtantur. Neque illud cen-

ſeo

(1) Ex tabul. Secr. Vatic. *Tom. VI Secret. Leon. X pag* 108. 326. ubi ſic 1514. *Septimo Idus Aprilis Gullielmus Card. Briſonetta reſtituitur ad omnes dignitates, & honores præter quam ad Præneſtinam Eccleſiam*.

(2) Ciaconius in Vita Pompej Card. Columnæ ex ſcript. coævis.

(3) Ciaconius Ibid.

ſeo verius, poſt dejectum a Sede Reatina Pompejum Roberto Britto ſive Guibè alias, de Vitrè [non de Priè, ut male additum in ultima Ughellii editione. Qui enim dicebatur de Priè, ſive de Bria erat *Renatus*, ſive *Raynaldus* a Julio eadem, qua Briſonettus pœna damnatus] Cardinali Nannetenſi vulgo appellato procurationem hujus Eccleſiæ a Julio fuiſſe commiſſam. Si vera ſunt, quæ in vita Pompej Ciaconius retulit, Antonius Cardinalis de Monte, ſive Montanus, non Robertus Eccleſiam hanc tunc procurandam accepit. Etenim ita in eum Pompejus excanduit, propterea quod Reatinum Epiſcopatum ſibi ademptum ambitioſe magis, quam honeſte ſuſcepiſſet, ut, Julio defuncto, ſede vacante, parum abfuerit, ne in eum ejuſque domum Romæ poſitam arma furore hoſtili, & bellico more converteret (1).

(1) Ciacon. Ibidem - *Nec moratus eſt Pompejus* (audita morte Julii), *quin in Tuſculanum amicos, & propinquos omnes advocaret, cogeret copias, & ante tormenta pararet, quibus irruptione in Urbem facta Antonii Montani Cardinalis, qui Reatinum Epiſcopatum ambitioſe magis, quam honeſte ſuſcepiſſet, & Mariani Cucinii, qui Fiſco præfectus criminoſum libellum, quo fuerat damnatus, dictaverat, domos bellico more diſturbaret. Hæc parantem tardavit Fabritius* (Columna), *egitque cum Cardinalibus ad ineunda ſuffragia paratis, ut Pompejo inſignia ſua rederentur; Idque facile impetratum eſt.*

UGHELLIANA

Reatinorum Epiſcoporum Series.

1 S. Proſdocimus (1)

2 S. Probus (2)
3 Probianus (3)
4 Urſus
5 Albinus (4)
6 Probinus (5)
7 Gaudioſus
8 Hadrianus
9 Hiſermundus, qui & Hiſemund. (6)
10 Colus, ſive Colonus
11 Richardus (7)

12 Thebroldus

13 Anaſtaſius
14 Heldebaldus
15 Joannes

16 Atho

(1) De hoc vide ſupra num. I, & II.
(2) De hoc vide ſupra num. III.
(3) De hoc vide ſupra num. III.
(4) De hoc vide ſupra num. V, & VI.
(5) De hoc vide ſupra num. III.
(6) De hoc vide ſupra num. X.
(7) De hoc vide ſupra num. XXIX.

UGHELLIANA

Reatinorum Epiſcoporum Series emendata.

1 S. Proſdocimus *Primus* (1)
2 Probianus
3 Urſus
4 S. Probus
5 Gaudioſus
6 Hadrianus
7 *Teuto*, qui & *Teuzo* (2)
8 Hiſemundus
9 *Agio* (3)

10 *Sinvaldus* (4)
11 *Guicpertus*, qui & *VVicpertus* (5)
Petrus (6)
12 *Alefridus*, qui & *Godefridus* (7)
13 *Hiſemundus II* (8)
14 Colus I, qui & Colonus (9)
15 *Teudardus*, qui & *Teuderadus* (10)
Joannes (11)

16 Ri-

(1) De hoc vide ſupra num. IV.
(2) De hoc vide ſupra n. VII, & ſeqq.
(3) De hoc vide ſupra n. XI, & XII.
(4) De hoc vide ſupra num. XIII.
(5) De hoc vide ſupra n. XIV. & ſeqq.
(6) De hoc vide ſupra n. XV, & ſeqq.
(7) De hoc vide ſupra num. XX.
(8) De hoc vide ſupra num. XXI.
(9) De hoc vide ſupra num. XXI.
(10) De hoc vide ſupra num. XXII.
(11) De hoc vide ſupra num. XXIII.

Digitized by Google

UGHELLIANA

Reatinorum Epiſcoporum Series.

16 Atho (1)
17 Raynerius I
18 Benincaſa
19 Teuzo
20 Colus
21 Gentilis
22 Dodo

23 Septimius Quarinius
24 Benedictus
25 Adenulphus
26 F. Raynaldus
27 Odo (2)
28 Raynerius II
29 Raynerius III
30 F. Dominicus (3)
31 Raynaldus II
32 Thomas
33 Gothifredus
34 Petrus Gerra
35 Andreas

36 Ni-

(1) De hoc vide ſupra num. XXVIII.
(2) De hoc vide ſupra num. XXXIX.
(3) De hoc vide ſupra num. XXXXI.

UGHELLIANA

Reatinorum Epiſcoporum Series emendata.

16 Richardus (1)
17 *Colus II* (2)
18 Thebroldus
19 Anaſtaſius
20 Albericus (3)
21 Heldebaldus
22 Joannes (4)
Theobaldus (5)
23 *Jucundus* (6)
24 *Gerardus* (7)
25 Raynerius I
26 Benincaſa (8)
27 Teuzo
28 Colus III
29 Gentilis
30 Dodo (9)
31 Septimius Quarinius
32 Benedictus
33 Adinulphus (10)
34 Raynaldus I (11)
35 Raynerius II (12)

36 *Joan-*

(1) De hoc vide ſupra num. XXIV.
(2) De hoc vide ſupra num. XXV.
(3) De hoc vide ſupra num. XXVI.
(4) De hoc vide ſupra num. XXVI.
(5) De hoc vide ſupra num. XXVII.
(6) De hoc vide ſup. n. XXVIII, & XXIX.
(7) De hoc vide ſupra num. XXVIII.
(8) De hoc vide ſupra num. XXXI.
(9) De hoc vide ſupra num. XXXII.
(10) De hoc vide ſupra num. XXXIII.
(11) De hoc vid. ſup. n. XXXIX, & XXXXX
(12) De hoc vide ſupra num. XXXX.

Digitized by Google

UGHELLIANA

Reatinorum Epiſcoporum Series.

36 Nicolaus
37 Berardus
38 Jacobus Paganus
39 F. Angelus
40 Jo. Mutus de Papazurris
41 Raymundus I
42 Joannes
43 Thomas II
44 Raymundus II

45 F. Blaſius
46 Bartholom. Mezza vacca
47 Ludovicus I de Theodenariis (1)
48 Ludovicus II Cichi (2)
49 Ludovicus III de Theodenariis (3)
50 Matthias de Fuſcis
51 Angelus Cardin. Capranica
52 Dominicus Luthanus
53 Joannes Card. Columna (4)
54 Pompejus Card. Columna

55 Scipio Columna

56 Ma-

(1) De hoc vide ſupra num. XXXXIII.
(2) De hoc vide ſupra num. XXXXIII.
(3) De hoc vide ſupra num. XXXXIII.
(4) De hoc vide ſupra num. XXXXIV.

UGHELLIANA

Reatinorum Epiſcoporum Series emendata

36 *Joannes* (1)
37 Raynerius III (2)
28 Raynaldus II (3)
39 Thomas I
40 Gothifridus
41 Petrus Gerra
42 Andreas
43 Nicolaus
44 Berardus *Aldebrandinus* (4)
45 Jacobus Paganus
46 F. Angelus
47 Jo. Mutus de Papazurris

48 Raymundus I
49 Joannes

50 Thomas II
51 Raymundus II
52 F. Blaſius
53 Bartholomæus mezza vacca
54 Ludovicus I de Theodenariis
55 Ludovicus II Cichi Colæ de Bonaventura de Theodenariis (5)

56 Mat-

(1) De hoc vide ſupra num. XXXX.
(2) De hoc vide ſupra num. XXXX.
(3) De hoc vide ſupra num. XXXX.
(4) De hoc vide ſupra num. XXXXII.
(5) De hoc vide ſupra num. XXXXIII.

Digitized by Google

UGHELLIANA

Reatinorum Epiſcoporum Series.

56 Marius Aligerius
57 Jo. Baptiſta Oſius
58 Marcus Ant. Card. Emulius.
59 Marianus Victorius

60 Alphonſus Binarinius
61 F. Conſtantius Bargellinius
62 Julius Cæſar Segnius
63 JoannesContes deDeſideriis
64 F. Gaſpar Paſchalius
65 Petrus Paulus Cardin. Creſcentius
66 Jo. Baptiſta Tuſcus
67 Gregorius Card. Narus
68 Jo.Franciſcus Card. a Balneo
69 Gregorius Bolognettus
70 Odoardus Card. Vecchiarellus
71 Julius Card. Gabriellius
72 Hippolytus Vicentinus
73 Franciſcus Maria Abbati

UGHELLIANA

Reatinorum Epiſcoporum Series emendata.

56 Matthias de Fuſcis
57 Angelus Card. Capranica
58 Dominicus Luthanus
59 Pompejus Card. Columna
Guillelmus Card. Briſonettus (1)
50 Scipio Columna
61 Marius Aligerius
62 Jo. Baptiſta Oſius
63 Marcus Ant. Card. Emulius
64 Marianus Victorius
65 Alphonſus Binarinius

66 F. Conſtantius Bargellinius
67 Julius Cæſar Segnius
68 JoannesContes deDeſideriis
69 Gaſpar Paſchalius
70 Petrus Paulus Card. Creſcentius
71 Jo. Baptiſta Tuſcus
72 Gregorius Card. Narus
73 Jo.Franciſcus Card:a Balneo
74 Gregorius Bolognettus
75 Odoardus Card. Vecchiarellus
76 Julius Card. Gabriellius
77 Hyppolitus Vicentinus
78 Franciſcus Maria Abbati
80 BERNARDINUS GUINISIUS

(1) De hoc vid.ſup.n. XXXXV. & ſeqq.

SIUS, Patritius Lucenſis poſt operam liberalibus ſtudiis egregie navatam in jure Cæſareo, Pontificioque ita verſatus eſt, ut Romam profectus datis Sapientiæ, & prudentiæ pluribus argumentis, Apoſtolico Nuncio in Poloniam proficiſcenti Comes additus fuerit, quo Ille a cauſſis, & congnitionibus uteretur. Re bene geſta in Italiam redux Maſſeranum primo in ſubalpinis Prætor, ſumma æquitatis laude nomine Summi Pontificis adminiſtravit: Juſſus eſt poſtea Taurinum petere, ut Nuncii Apoſtolici partes eo abſente perageret: demum Carpentoractum, ut illi Urbi Rectoris auctoritate jus diceret. Nihil ubique non factum caſte, prudenter, religioſe. Quamobrem, Reatina Eccleſia ex Franciſco Maria Abbati ad Carpentoractenſem Eccleſiam traducto, Paſtore viduata, Guiniſius facile ad ſe Clementis XI. P. M. oculos animumque convertit, ut in ea illum ſede ſufficeret. Quod factum eſt Kalendis Junii anni 1711. In Eccleſia adminiſtranda peculiarem humanitatem cum peculiari æquitate ita conjunxit, ut nihil facilitas de auctoritate, nihil Severitas de humanitate detraheret. Hinc illud eſt conſecutus, ut a malis metueretur, diligeretur a bonis, exprimeretque ab omnibus amorem ſimul, & cultum. Diæceſana habita Synodo Eccleſiæ ſuæ res ita compoſuit, & ordinavit, ut diſciplinæ Eccleſiaſticæ labefactandæ obex maximus poneretur. Expertus intelligens, quantæ eſſent Reatinæ Urbi, totique Diæceſi utilitati viri Ordinis mei, qui illic Scholas non ita pridem *Hypoliti Vicentini* Superioris Epiſcopi beneficio aperuerant, ſingulari eos amore complexus eſt, fovit, cumulavitque omni beneficiorum genere, quæ apud nos nulla unquam delebit oblivio. Virtute in eos fuit plane mirabili, a quibus contumeliis fuiſſet affectus. Iis enim tot, tantaque veri amoris, & benavolentiæ ſemper præbuit argumenta, ut non alia de cauſſa videretur injuriarum acceptarum memor, niſi ut eos beneficiis augeret. Contigit aliquando, ut ob æquitatis jura tuenda in maximam quorumdam incurreret offenſionem: Neque maledictis modo proſcinderetur, Sed etiam apud Romanos Patres, publicoſque ſanctiores Judices calumniis impeteretur. Tantum abſuit, ut vel animo commoveretur, vel, cum poſſet, ulciſceretur injurias

verus

verus Chriſti Diſcipulus, ut collatis in eos inſignibus beneficiis de iis bene mereri maluerit, quam in eos animadverſionem debitam adhibere. Anno decimo tertio in hoc Pontificatu traducto ſumma cum laude, relicto apud omnes præcipue pauperes, quibus large ſemper fuerat opitulatus, ſui maximo deſiderio; Lucam traductus eſt Patriam ſuam Gregi illi curam adhibiturus. Dignus plane, qui omnium primus Archiepiſcopali Eccleſiæ illius titulo, & dignitate præſtaret.

81. F. ANTONINUS CAMARDA Meſſanæ in Sicilia honeſtiſſimis parentibus natus a juventute Prædicatorum Ordini nomen dedit. Optimis diſciplinis, literis præſertim Græcis, Hebraicis, atque Latinis apprime inſtructus Philoſophiæ, ac Theologiæ penetralia omnia ita cognovit, ut doctiſſimus haberetur. Conciliorum præterea, & Summorum Pontificum, imo etiam Imperatorum leges ſic probe calluit, ut eum viri magni ſæpe conſulerent, Ejuſque conſilio, atque doctrina in rebus arduis uterentur. Summam Sacrarum literarum intelligentiam cum linguæ Ebraicæ peritia conjungens Judæorum errores, falſaque præjudicia de Chriſto ſibi promiſſo e ſuggeſto refellere juſſus pluribus ad Chriſtianam fidem traductis ſatis amplum retulit, Deoque obtulit laborum ſuorum fructum. Adſcitus inter ſex viros Caſanatenſis Collegii Theologos (qui locus Romæ honeſtiſſimus non niſi in Ordine Sapientiſſimis ſemper patuit) eam perſonam cum magna dignitate plauſuque ſuſtinuit. Innocentio XIII. P. M. vita functo, cum habenda eſſent pro Summo Pontifice eligendo comitia, ad eum unum oculos Patres Eminentiſſimi converterunt, quem ſecum in Conclavio eſſe ſtatuerent animarum ſuarum moderatorem, & judicem. Benedictus XIII ejuſdem Prædicatorum Ordinis ſupra Petri Cathedram collocatus nihil habuit antiquius, quam ut Antonino ex omnibus ſui temporis primo Infulam Reatinam imponeret XV Kal. Julias anni 1724. Quam Sancte, quam Religioſe, quam caſte, quam largiter ad annos triginta huic Eccleſiæ præfuerit amantiſſimus ex animo Pater, & Paſtor, gratiſſima frequenti recordatione commemorare Cives Reatini non ceſſant. Duas Synodos habuit, in quibus ad tuendam Eccle-

 ſia-

Digitized by Google

ſiaſticam diſciplinam multa, eaque egregia inſtituit, atque ſancivit. Quotquot ſunt in univerſa Diœceſi Sacrarum Virginum Templa, ſi unum excipias, aut alterum, renovanda curavit. Seminarii ædes opere magnifico amplificavit. Aulam Epiſcopalem reſtauravit, exornavitque. Orphanotrophium, in quo eæ puellæ reciperentur, quæ eſſent parentibus deſtitutæ, ære ſuo fundavit, dotavitque: eaſdemque hæredes ex aſſe eſſe voluit. Plura reliquit doctrinæ ſuæ monumenta nunquam interitura: Inter quæ de Comitiis pro eligendo Summo Pontifice, ejuſdemque electione legitima. Summo omnium dolore deceſſit IX Kal. Junias anni 1754. totius Civitatis, Pauperum præcipue lacrymis deductus ad tumulum in Cathedrali, ubi legere de eo eſt hoc Epitaphium longum illud quidem & ſatis amplum, Sed neque ad pompam vanam infructuoſamque compoſitum, neque legibus veritatis adverſum.

D. O. M.

Antonino. Seraphino. Camarda. Meſſanenſi.
Ord. Prædicator. Et. Caſſanatenſis. Collegii. Theologo.
Quem.
Pietate. Doctrina. Egregiis. Meritis.
Atque. De. Re. Canonica. Optimis. Scriptis.
Cum. Ordine. Suo. Sancta. Sedes. Commendat.
Ipſum.
Iudæorum. Perfidiam. E. Suggeſtis: Arguentem.
Catholicus. Orbis. Miratus Eſt.
Eundem.
Reatina. Hæc. Sedes.
Peculiari. Dei. Beneficio. Præſulem. Nacta.
Diuturno. Triginta. Annorum. Spatio.
Verbo. Exemplo. Charitate. Liberalitate.
In. Eccleſ. In. Cler. In. Orphan. Alend. In. Puel. Educand.
Non.

Non . Semel . Aerario . Penitus . Exhauſto .
Munificentis . Paſtorem . Benefactorem . Patrem .
Amplexa . Complexa . Venerata . Eſt .
Communi . Moerore . Aetatis . Suae . Anno . LXXX
Humanitatis . Jura . Solventi .
IX. Kal. Junias . CIϽIϽCCLIV.
Pontificiis . Lacrymis . Funera . Honeſtantibus .
In . Sacello . Ab . Se . Ornato .
Noviſſimam . Tubam . Expectanti .
Orphanæ . Et . Puellarum . Magiſtræ .
Modici . Pauperibus . Manentis . Patrimonii .
Hæredes . Inſtitutæ . Monumentum . PP.

82 CAJETANUS CARLIUS Comacli in Æmilia nobili natus genere cum Religione, doctrina, & Poeſis laude præſtaret, primum ornatus eſt Sacerdotio in Templo Patriæ principe: Deinde ſelectus, qui in regenda ea Diœceſi Vicarias illius Epiſcopi partes impleret. Prudentia, & dexteritate hominis non ſolum domi, ſed foris etiam cognita Rinaldus Mutinenſium Dux ſagaciſſimus, idemque hominum æſtimator æquiſſimus ſibi eum voluit adeſſe, quo ad eas quæſtiones, quæ ſibi erant cum Summi Pontificis adminiſtris de Ateſtinorum re familiari in Ferrarienſi ditione componendas uteretur. Qua in re fidem illi ſuam, ſtudium diligentiamque ſic præſtitit Carlius, ut laudem æſtimationemque a tanto Duce meruerit: neque tamen minus acceptus fuerit Principi ſuo: quod hercle magnum eſt prudentis hominis argumentum. Hinc illud eſt aſſecutus, ut Fanenſis, Papienſis, & Mediolanenſis Antiſtitis in partem laborum ſuorum Carlium certatim vocarent, eidemque Diœceſes ſuas committerent Vicario munere comminiſtrandas. Abunde omnibus ſatisfecit doctus prudens æquiſſimus vir. Itaque tot tantiſque meritis commendatum Reatinæ illum præfecit Eccleſiæ Benedictus XIV P. M. decimo ſeptimo Kal. Januarii anno 1754. Magnum fuit ejuſdem ſtudium pro Religio-

ne & Eccleſiaſtica diſciplina, qua reſtauranda, qua confirmanda: Magna animi vis, & efficacia ſive in pravis germinibus citiſſime radicitus evellendis, ſive in agro Dominico plantis egregii ſeminis excolendo: Magna ſupra Curiales Eccleſiarum Præpoſitos vigilantia, ne muneri deeſſent ſuo, oveſque eorum curæ commiſſæ divina re privarentur. Qua de re egregias eiſdem præſcripſit regulas, quæ typis editæ magno ubique ſunt uſui, magnæque extra etiam Diœceſim utilitati. Nec minor illi ſacrarum earum Virginum cura, quæ cum Sponſo cœleſti contractis nuptiis in horto concluſo veluti flores puriſſimi germinis diligentiſſime cuſtodiuntur. In id ſcilicet totus incubuit, ne Infernali Serpenti ad illas pateret aditus, infectæque ejuſdem afflatu indignæ fierent, quas idem Sponſus ſuis amplexibus dignaretur. Id ne aliquando contingeret; ſed quo puriores, & a mundi voluptatibus remotiores eo majorem ſibi conciliarent amorem ejuſdem Sponſi, opportunis, & prudentiſſimis monitis, documentiſque, quæ typis impreſſa leguntur, egregie munivit. Pauperes ſingulari amore complexus largas illis manus aperuit, & ſingularia contulit adjumenta. Hinc ne ea, quæ ſublevandæ eorum inopiæ in urbe Reatina inſtituta ſunt providentiſſime (inter quæ mons, ut dicunt, Pietatis non ultimum locum tenet) ex hominum vel malitia, vel negligentia eorum expectationem fruſtrarentur, & fallerent, ſaluberrimis decretis editis impreſſiſque proſpexit. De Grege paſcendo cum exemplo tum verbo ſollicitus frequentes ad Clerum, Populumque ſermones habuit, qui publici juris facti, inſcriptique Benedicto XIV. P. M. non ejus modo Pontificis ſapientiſſimi, ſed hominum etiam doctorum laudes ex acumine ingenii, ex gravitate, & eruditione materiæ, ex orationis copia, ex ſtyli fervore meruerunt. Brevi, inopinatoque morbo conſumptus ſummo omnium dolore Reate diem clauſit extremum, qui ſextus fuit ante Kalendas Februarii anni 1761, tumulatus in Cathedrali hoc adjecto Epitaphio.

Ca-

Cajetano de Carli
Patr. Comacl. Nob. Raven. In Omnibus Patriæ
Mirifice Præcipuo Ex Vicib. Antiſt.
Comaclen. Fanen. Papien. Mediolanen.
Ad Hanc Percelebr. Pontif. ſedem Aſſumpto
Doctrinæ Etiam Typis Zeli Pietatis
Spectatiſſimo
Inter Amplexus Dilect. Eccl. ſuæ
Prærepto Morte
VI Kal. Mart. MDCCLXI Aet. LXII
Eptus. An. VII Incæptis
Canon. Jo. Bapt. Subcol. Apls. Carolus Sacer.
Barnabas Pub. Prior Tanto Fratri
Monumentum Hoc
PP.

83. HIERONYMUS CLARELLIUS Reatinus Patritius ex nobiliſſimis Marchionibus ejus oppidi, quod ex celebri Vacunæ Fano nomen traditur accepiſſe (1). Reate natus, vix ab iis ſtudiis quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, exceſſerat, cum præclariſſimo Sacerdotio ornatus in Templo Patriæ principe Eccleſiæ ab ipſa adoleſcentia ſe mancipavit obſequiis. Romam profectus, ut ſtudia Scientiarum abſolveret, egregiis uſus eſt præceptoribus, Minorellio imprimis Ordinis Prædicatorum viro Romæ tunc præſtantiſſimo, doctiſſimoque. Reverſus in Patriam honeſtiſſimam vitam duxit ad Evangelii, Sacrorumque Canonum regulam plane com-

(1) De celebri Vacunæ, ideſt Victoriæ fano, ubi nunc Vaconis oppidum, conſule Piazzam - *nella Gerarchia Cardinalizia* - *M. Libretti* non diſſentiente Cl. viro Dominico de Sanctis in eruditiſſima diſſertatione de Villa Horatiana typis edita Romæ anno 1761 magno eruditorum applauſu.

compoſitam '. Mores illi quidem non diſſoluti, vel nimis liberi; ſed nec inſuaves & rudes, imo vero modeſti, continentes, graves, ejuſque naturæ, ut aperte ſignificarent magis eum receſſu, quam hominum frequentia, & nimia conſuetudine delectari. Eccleſiæ ſuæ amantiſſimus frequentiam illi diligentiamque ſingularem adhibuit, tantaque cum religione conjunxit, ut Canonicorum Collegio, univerſoque Clero præclaro eſſet exemplo, & ad virtutem incitamento. Secundæ Synodo Diœceſanæ quam habuit Camarda anno 1734 interfuit: Cumque ejuſdem a Secretis fieri meruiſſet, non exiguam illi operam præſtitit. Ob hæc & alia præclara merita auctus dignitate Archidiaconatus, quæ in Reatino Collegio cæteris præſtat, Religionem ſuam prudentiamque magis magiſque ita probavit, ut Camarda defuncto univerſæ Diœceſis adminiſtratio ab eodem Collegio ipſi committeretur: Idemque perhonorificum munus poſt obitum Carlii ſecundo ipſi demandaretur anno 1761. Hæc illi ad dignitatem Patriæ Epiſcopalem via, quam a Clemente XIII. P. M. familiæ ſuæ, ſuique amantiſſimo ornatus eſt octavo Aprilis anno 1761. Continuit Spiritum vir modeſtiſſimus, ut delatæ ſibi dignitatis nuncium accepit: Cumque unus ſe contra omnium opinionem eidem imparem judicaret, ſtatuerat animo conſtantiſſime diſſentire, niſi eum vir magnæ auctoritatis ab ea ſententia omni conatu adhibito vix removiſſet. Itaque ægerrime quidem, ſed tamen ſe victum dedit. Quamque tunc induit Perſonam Epiſcopi Religionis ſtudio, morum ſuavitate, & gravitate, vigilantiæ, æquitatis, & prudentiæ laude ſic ſuſtinet, ut amorem æſtimationem, & cultum ab omnibus exprimat: Nulluſque omnino ſit, qui vitam Ipſi diutinam, felicemque a Deo ex animo non deprecetur.

LAUS DEO.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dominicus Archiep. Nicomediæ Viceſg.

APPROBATIO.

MAndato libenter obtemperans Rm̃i P. Thomæ Auguſtini Ricchini Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtri omni adtentione perlegi librum, cui titulus *Commentarius de Eccleſia, & Epiſcopis Reatinis* Autore Rm̃o Patre Fauſto Marono Sch. Piarum & Sacrorum Rituum Conſultore: in eoque nedum aliquid adnotare non potui quod vel orthodoxæ Fidei vel bonis moribus etiam leviter opponatur, imo vero non pauca delibavi ex optimis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ fontibus deprompta, quæ Reatinæ Eccleſiæ faſtis decus augent atque ſplendorem. Quare eumdem librum ſalvo ſemper meliori judicio dignum cenſeo ut publica luce donetur.

Datum Romæ in ædibus S. Andreæ de Valle hac die decima ſeptima Aprilis 1763.

D. Jo. Baptiſta Negri Cl. Reg.
Sacrorum Rituum Conſultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

MAG 202351 7